



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DE  
LEGIBUS

DIVINÆ POSITIONIS  
UNIVERSALIBUS

DISCVRSVM ACADEMICVM  
PRÆSIDE

VIRO CONSVLTISSIMO

DN. IMMANUELE  
WEBERO,

JURIUM ATQUE HIST. PROF. PUB.  
PATRONO ET HOSPITE ÆTERNUM COLENDO,

*Publico Eruditorum Examine*

*D. XX. Mensis Augusti ANNO MDCCV. sibi*

AUCTOR

CAROLUS ERNESTUS  
DE SCHOENLEBEN,

*Eques Anhaltinus.*

---

GISSÆ-HASSORUM,

*Excudit* JOHANNES. REINHARDVS VVLPIVS.

Acad. Typogr. Ordin.





V I R O

*ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO*

**DN. JO. ERNESTO**

**DE SCHOENLEBEN,**

*SERENISSIMI PRINCIPIS*

*AC DOMINI*

**DOMINI**

**CAROLI WILHELMI,**

**PRINCIPIS ANHALTINI,**

**DUCIS SAXONIÆ, ANGRÆ**

**ET WESTPHALIÆ**

*&c. &c.*

**CONSILIARIO INTIMO,**


**CANCELLARIO, SACRIQUE CON-**

**SISTORII PRÆSIDI,**

*P A T R I summa semper cum pietate*

*venerando.*

VIR ILLUSTRIS  
PATER PIE DEVENERANDE

 Ubeunt jam oculos TUOS ha,  
quas sub oculis ex parte elabora-  
vi, pagella, qua lucem aspicerem  
sine NOMINE TUO in fron-  
te posito neque iuste potuerunt, neque unquam  
debuerunt. Cui enim majori iustitiâ ac  
aquitate, quacunque in me sunt & à me  
proficiuntur, deo veri consecrarique possunt,  
quam TIBI, PATER EXOPTATIS I-  
ME, cui omnia debeo, cui omnia accepta  
referenda habeo? Quanta enim obligatione  
deuinctus TIBI teneor, non ex eo solum in-  
telligo, quod vitam ex TE hausi, sed quod  
eum

eum **PATREM** nactus sum, qui sapien-  
tissimis ac saluberrimis suis præceptis à puero  
me instruxit; qui unicum vera felicitatis &  
salutis fundamentum pietatem in Deum  
esse, omnemque Sapiencia humana gloriam  
infirmo pede niti, nisi perpetuò studio mini-  
meque fucato amore in Creatorem nostrum  
fulciatur, & verbis & exemplo indicavit;  
qui in veram me virtutis viam, ipsius ve-  
stigiis impressam, duxit & reduxit, suisque  
factis & institutis ad eum, qui rectissimus ad  
gloriam cursus est, quotidie vocavit; cujus  
denique ope & incitamento studia amplexus  
sum, tantumq; de istis delibavi, quantum inge-  
nii vires permiserunt. Sane, cum hac omnia  
mecum perpendo, tantisque, quibus nunquam  
exsolvi queam, me vinculis **TIBI** obstrictum  
sentio, omnino erubesco, quod non nisi tantillè  
hocce observantia & obsequii in **TE** mei ad ci-  
neres usq; continuandi argumentum pro tam  
ingentibus beneficiis reponere valeam. In-  
terim tamen cum cupiditati vires haud re-  
spondeant, humanitate **TUA** fretus, cer-  
tissi-

tiſſimam ſpem ſorveo , TE illud , non quale  
quidem velim , ſed quale hoc tempore offerre  
poſſum , debitum potius quam munuſculum  
benigne eſſe accepturum. Debentur omnino  
TIBI fructus industria mea , ii tamen dum  
ad maturitatem perveniant , hiſce interim  
quaſi floribus acquieſce ; maturioraque ſuo  
tempore exſpecta Ego vero in eo omnem curam  
omnesque cogitationes figam & loco , ut  
quantum in viribus ſitum. omnes actiones me-  
as exempli TVI regulâ metiri , & non ſolum  
nomen TVVM , ſed & cum nomine virtu-  
tem aliquando referre poſſim. Vale , AMAN-  
TISSIME PATER , quam diutiſſime me-  
que , quo nihil mihi magis unquam in  
votis erit , perpetuô amore  
dignare.

Ad,

GENEROSISSIMUM

DN. RESPONDENTEM

*Inquilinum & Convictorem suum ob mo-  
rum elegantiam, integritatem vitæ, ingeniiq; dotes præ-  
claras è paucis sibi dilectum,*

EPISTOLA


P R Æ S I D I S.

**A**Rduum sanè est, quod elaborandum *TIBI* sumsisisti, de LL. Div. Positionis Universalibus, argumentum, in quo excellentissima ingenia adhuc defudarunt, neque tamen satisfecisse rei vel aliis vel sibi met ipsis visi fuerunt. Bene tamen TU, *Domine Generosissime*, dum ad Academicæ vitæ honestissimè & cum applausu omnium Proborum apud nos actæ metam properando specimen aliquod profectuum apud nos edere cogitas, non è trivio arreptum, sed cum cura è Doctorum gazis electum, quò & ingenii, quod Tibi præclarum contigit, vires, & omnigenæ raræque eruditionis copias palàm facere possis. Ut enim & in his forte sint, quæ solidioribus rationibus firmari potuerint, vel limam aliàs desiderent; nihil tamen inde laudibus Tuis deedit, dum, quæ in exercitioribus non probantur, ferenda sunt in iis, qui multò scribendi usu adhuc destituti sunt. Et certè si bonorum judicio in magnis voluisse sufficit, plus satis ornasse Spartam censendus es, dum humanarum æque ac Divinarum Legum, ad quas paucissimi in Academiis animum adjiciunt, exactam peritiam Tibi comparavisti. Accedit & hoc, Tuaque merita auget, quod in dubiis, quæ vel reapse talia sunt, vel commentis ingeniosorum hominum ambigua reddita, tutiorem sententiam securus es, qualem semper Te sectaturum erecta probitæque deditissima mens de Te sperare jubet. Magnum oppidò est in homine, qui publicis

com-



modis natus destinatusque est, si de rebus in utroque tam Ecclesiastico quam Civili Statu momentum habentibus rectè sentiat, constantique iudicio animi sui sensa sciat tueri, nec quovis opinio-  
 num turbine hinc inde propelli se patiat. Debes id benigni-  
 tati nativæ Tuæ indolis, accessit obfirmatio ab exemplo & monitis  
**PER-ILLUSTRIS TUI PARENTIS**; perfectionem denique  
 nactus es à doctrina sobriâ, quam à teneris annis fidi Doctores cum  
 omni scientiarum elegantium genere Tibi instillaverunt. Præpa-  
 ratus sic egregiè ad Rempubicam, dignusque ut **SERENISSIMUS**  
**TUUS PRINCEPS**, **DOMINUS NOSTER CLEMENTIS-**  
**SIMUS**, singulari *TE complectatur* Gratia, dubio procul pro-  
 pediem in campo, ubi virtutum latè explicandarum copia dabi-  
 tur, constituere. Deus O. M. quem mirè rebus Tuis faventem  
 adhuc expertus es, & deinceps conatibus Tuis, maximè dum iter, ad  
 quod Te nunc accingis, peragendum est, sit præsto, faxitq; clemen-  
 tissime, ut dum **MAGNI PATRIS** vestigiis studiò tam laudabili  
 insistis, tandem quoque in eodem, quem is occupat, occupetque  
 meis votis quàm diutissimè, in Republicâ gradu colloceris. Scri-  
 bebam Gissæ Cattorum, ipsis Calend. Augusti,  
 A. O. R. MDCCV.



**Q**uid Positæ Leges Jovæ jubeantque vetentq;  
 Hic labor, & pulchrè pagina docta docet.  
 Jamq; simul leges, queis lumina clara dedisti,  
 Te violare vetant, Te decorare jubent.

His Generosissimo Dno de **SCHOENLEBEN**,  
 Fautori honoratissimo tam generis quàm  
 optimarum literarum & morum ornamento,

LMQ. applaudebat

**Matthias Nicolaus Kortholt,**

*Eloq. & Poës. PP.*



PRÆFATIO  
AD  
LECTOREM.

**D**Octrinam de Legibus ingentem in vita humana præstare utilitatem, omnibusque, qui literarum studiis operam dant, probè excolendam esse, nemo, nisi omnia me fallunt, unquam in dubium vocaverit. Cum enim post lapsum voluntas humana sic depravata existeret, ut non potuerit non ad mala, omniaque perversa contendere, omninò necessitas exigebat, ut actiones hominum certis morum vitæque regulis

A

cir-

circumscriberentur, & ipsis hoc modo frenum quasi quoddam injiceretur. Accipimus jam ejusmodi regulas, quas Leges adpellamus, & a Deo, Creatore nostro potentissimo, & ab istis, quorum potestati Deus nos subjecit, summis Imperantibus scilicet & Magistratibus, quibus ut morem geramus & propria & publica salus quàm maxime urgent. Quid ergo magis necessarium; quid utilius magis, quam ut omnes certo teneant, quænam Leges nos obligent, quæ vero non; ex quo fundamento obstringant, & quid denique nostro arbitrio relictum adhuc permanserit? Et elucet hujus rei utilitas tanto magis ex eò, quod genus humanum jam tanto legum cumulo obrutum videmus, ut quam plurimi eruditi ipsi animo maxime fluctuaverint, quæ pro jussis, quæ pro vetitis, quæ pro permissis haberi debeant. Hæc ipsa jam mihi ratio fuit, quod cum ex more Specimen aliquod Academi-


cum



cum edendum esset, hanc de Jure Divinae positionis Universali materiam paulo curatius discutiendam praeter caeteris selegirum; operaque pretium me obtenturum putaverim eò facilius, quod argumentum hoc à multis vel plane omissum perspexi, vel certè tantis difficultatibus involutum, ut potius isti de Legibus doctrinae tenebras obduxisse, quam perspicue & distincte eam proposuisse dici possint. Exponam igitur, quae mihi hac de re videntur, ipsique operi manus injiciam; omnia tamen salvo semper rectius sentientium judicio dicta sunt; cum nemini opinionem meam, quaecunque sit, obtrudere velim, quin potius in devia forte abeuntem, qui in rectam reduxerit viam, illi arctissima obligatione me devinctum lubentissime sim professurus. Et licet haec eam, quae par erat, elegantia, atque exactitudine conscripta haud adparuerint, eò faciliiori tamen negotio veniam me esse im-

petraturum spero, quod labor iuvenilis paratum semper favorem invenire soleat; & quæ hac ætate dicta sunt, ad modulum ingenii accipi debeant, cum maturior ætas maturiora exposcat, & fortassè cum DEO sit suppeditatura.  
Vale & fave.

**DISSER-**



DISSERTATIONIS  
DE  
JURE DIVINÆ  
POSITIONIS UNIVERSALI  
SECTIO PRIMA;

in qua

GENERALIA

*De LL. Divin. Positivarum Indole, Speciebus  
& de Existentia Universalium proponuntur.*

CONSPECTUS.

- |  |   |
|--|---|
| <p><b>I.</b> <i>Divinum Numen ipsâ Creatione homini Jus Naturale indidit.</i></p> <p><b>II.</b> <i>Præter Leges Naturales Deus homini quoque proposuit Leges Positivas.</i></p> <p><b>III.</b> <i>Dari LL. Positivas exemplis ex Sacra Scriptura petitis probatur.</i></p> | <p><b>IV.</b> <i>Discrimen LL. Positivarum &amp; Naturalium.</i></p> <p><b>V.</b> <i>Decalogi præcepta Positivis an Nat. Legibus accenseri debeant disquiritur?</i></p> <p><b>VI.</b> <i>LL. Positivæ Divinae non nisi ex Sacris literis peti possunt.</i></p> <p><b>VII.</b> <i>Distinguuntur LL. Div.</i></p> |
|--|---|

- Positiva in Universalibus & IX. Κατήγη LL. Divinarum  
Particulares, Positivarum Universalium.*
- III. Desiderata circa vul- X. Tolluntur dubia, quæ adver-  
garem divisionem LL. Div- sus existentiam LL. Div.  
vinarum Positivarum in Positivarum Universalium  
Morales, Caremoniales & nonnulli proferunt.*
- Forenses; Distinctionis isti-  
us interpolatio.*

## §. I.



UM Sapientissimus hujus universi Cre-  
ator hominem ad sui ipsius imaginem  
formatum in hujus mundi theatrum pro-  
ducere, illumque pulcherrimo non so-  
lum corpore circumvestire, sed isti quo-  
que corpori animam rationalem (utpote  
in quâ unice prærogativa, quam præ  
brutis homines obtinent, collocanda erat) inserere penes  
se constituisset, illud fieri non potuit, quin etiam animo  
hominis simul inderetur egregia quædam notitia eorum,  
quæ tum circa Deum, tum circa se ipsum & circa cæteros,  
si qui sint extituri, homines ipsi observanda venirent, in-  
deque sentiret, injunctam sibi esse omnino obligationem  
quandam inevitabilem, suæque naturæ necessariò conve-  
nientem, ad actiones secundû naturæ illa dictamina recte  
instituendas. Διαπλάσεστων ἀνθρώπων τὸ γένος ὁ ποιητής, ἐντίθεμα  
τῆ φύσει τὴν τῶν ἀγαθῶν καὶ τὴν τῶν ἐναντιῶν διάγνωσιν, cum Crea-  
tor hominum genus formaret, inseruit natura bonorum  
malorumque notitiam, inquit Theodoretus, in *Therapeu-  
ticis*

*ticus, Serm. XII. Opp. Tom. IV. §. 6. 69. edit. Paris. Vis ea erat istius, quod sub trito & notissimo Juris Naturalis vocabulo passim inauditur, quo de Chrysofomus: ἐξ ἀρχῆς πλάττων ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, νόμον αὐτῷ φυσικὸν ἐγκατέθηκε, ab initio formans hominem Deus, ipsi indidit Legem Naturalem. Orat. XII. ad populum Antiochen. Negaverit id quidem facile nemo, nisi cui volupe in terminis ludere; id quod fecisse videtur Guil. van der Muelen *Dissert. de origine Jur. Nat. Anno 1684 Ultrajecti edita*, in qua, dum ex puro naturæ impulsu & inclinatione, non verò ex lege benè egisse Protoplastos ante lapsum dicit, non tam rem ipsam negat, scilicet Divina naturæ rectæ in hominibus dictamina, quàm obligationis modum, quatenus videlicet sponte & liberrime iisdem aurem præbuerunt, non per modum rigidæ coactionis, uti fere hodie leges vim suam apud plerosque exserunt, qui non virtutis amore, sed pœnæ formidine peccare oderunt. Conf. Dn Thomas. *Schol. q. ad §. 61. L. I. c. 2. Jurisprud. divin.* Et hæc Naturæ lex hominum cordibus adeò firmiter insculpta censerī debet, ut etiam ex quo Paradisiacâ per lapsum felicitate exciderunt, non possint tamen non ex diligenti naturæ suæ contemplatione ejusquam plurima capita adhuc in se deprehendere, teste omni exceptione majore Div. Paulo, qui de Gentilibus perhibet, quod ποιῆ φύσει τὰ τῷ νόμῳ, γενοσὶ ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμερτυρησῆς αὐτῶν τῆς συνειδήσεως *faciant naturâ, qua Legis, scripta quippe in cordibus eorum, testimonium perhibente conscientia Rom. II. 14. 15.**

§. II

Ut verò Leges Naturales ex eo, quem DEUS T. O.  
M. in



M. in Creatione hominis sibi proposuerat, sine emergentes illa nobis injungunt præcepta, quæ necessariò cum naturâ nostra conveniunt, & per rationis dictamina innotescunt; ita unicuique constat, passim quoque inveniri in Sacro Codice ejusmodi leges, quas ratio nostra planè ignorat, quæque nullo modo abistâ, si sibi soli relinquatur, investigari possunt, nec adeo necessariam cum naturâ humanâ convenientiam habent. Ex quo utique colligimus, ea omnia, quæ Deus tanquam extra sphæram rationis nostræ posita peculiari modo & actu promulgavit, ex liberâ ipsius voluntate profluere, ideoque hoc respectu omnino arbitraria esse atque positiva. Enata hinc altera illa Juris Divini, cui obstringimur, species, quæ nomine *Legis Divinæ Positivæ inclaruit*, & per quam ista, quæ pace Juris Naturalis suscipi aut omitti poterant, ita determinantur, ut quædam certò constituta, quædam vetita censeferi debeant, quibusdam etiam ipso Jure Naturæ jam vetitis certa quædam pœna dictitata intelligatur. Cæterum dum *Divinus* eas leges dicimus, & ad Deum autorem referimus, apparet inde satis, nos detestari eorum impietatem, qui cum Simone Mago, non Dei, sed *αἰετοῦ δυνάμεις*, i. e. sinistræ cujusdam potentix esse Leges Positivas adserunt. Epiphanius *Hæres. XXI. f. 58.* Manichæorum item & Marcionitarum, qui τὴν παλαιὰν ἔπειθε θεμιτοῦ εἶναι νομοθεσίαν, *legislationem V. T. mali cujusdem opificis esse delirarunt.* Constant. Harmenopol. *de sect. p. 564.* Conf. Fr. Suarez. *de Legib. L. IX. c. 2.* Neque etiam Ministerium Moyse impedire potest, quò minus ipsi Deo immediatè leges Positivas tribuamus, secus, ac cum Rabbinis, aliqui ex Scholasticis aliique senserunt, ad-

❖ 9 ❖

adversus quos disputat D. Zentgrav. *Summ. Jur. Divin.*  
*sect. II. §. 3. p. 41. seqq.*

§. III.

Dari autem Leges Divinas Positivas unicuique extra dubium positum erit, saltem cui Scripturæ Sacræ veritatem autoritatemque agnoscere cordi fuerit. Ibi enim invenimus præceptum initio statim Adamo datum *de abstinentia ab arbore*, nec non illa *de Polygamia & divortiiis vitandis*, quæ partim ex primæva conjugii institutione elici poterant, & Legibus Naturæ adversari ratio humana, sicutem ut hodie illa se habet, deprehendere nequit. Porro extant aliqua præcepta Noacho inculcata v. gr. *de officendis ultimo supplicio homicidis, de vitando sanguinis esu*, & innumeræ illæ populo Judaico latæ leges Ecclesiam & Politiam ipsius respicientes, quas omnes sine speciali divina revelatione vel declaratione sibi observandas esse ratio humana intelligere non poterat. Licet enim ultima plerorumque harum Legum ratio etiam in naturali aliqua honestate, æquitate & justitia posita sit, & locum omnino habeat illud Apostoli, *ὁ μὲν νόμος θεοῦ δίκαιος ἔστι καὶ ἀγαθός, lex justa & bona est, Rom. VII. 12.* attamen quod ad rationem Divini Legislatoris proximam, & quod ad promulgationis modum principiumque cognoscendi attinet, sunt & evadunt istæ Leges Positivæ, cum Naturalibus propterea neutiquam confundendæ. Illustrari id potest quadante nus exemplò Legum Civilium quarumcunque non manifestè iniquarum. Nam plerarumque, si non omnium, rationes ultimæ etiam aliquo justis & æqui naturalis fundamento nituntur, quæ præsumtio semper pro Legislatore

B

mi-

militet, nunquam cum aliter ac per æquam & justam cau-  
sam ad leges ferendas procedere. Interim tamen ea propter  
ipsæ Leges Civiles in Naturales non abeunt, sed indolem  
Positivarum retinent.

§. IV.

Satis quidē, nī fallimur, ex hæcenus dictis adparet, quā  
ratione à Naturalibus Positivæ Leges discernendæ vniant;  
sed cum plurimum interfit, ut omnia hęc dubia, quæ oc-  
currere possunt, tollantur, non ab re erit, argumentum  
istud adhuc paulò uberius illustrare. Quod igitur attinet  
Leges Naturales, eas ut hominum omnium rationi Crea-  
tor ipse firmissime impressit, ita cuilibet homini mentis  
non depravatæ, & rationis usu pollenti, tantum facul-  
tis, etiā post jacturam primævæ felicitatis, superest, ut  
illas (licet non tam plenè ac perfectè ut Adam divinā ima-  
gine omnibus adhuc numeris integrā præditus) solo ratio-  
nis lumine indagare, & actiones secundum easdem institu-  
ere possit. Principia igitur hęc occurrunt latissime paten-  
tia, superstructa videlicet convenientiæ cum fine hominis,  
vel cum socialitate humanā; unde pronissimum est, o-  
mnis generis Conclusiones practicas actionum humana-  
rum veluti cynosuras atque directrices elicere. Actio-  
nes inquam hominum sunt, quas Naturæ Leges dirigunt,  
& directo quidem potissimum exteriores, quatenus eæ  
ad officia Deo, sibi & aliis debita instituendæ. Anima  
harum legum consistit in obligatione, intuitu modò indi-  
catorum finium atque respectuum divinitus injunctā, qui  
cum universi generis humani, singulorumque id consti-  
tuentium membrorum salute quàm necessariam quan-  
dam

dam connexionem habeant, inde hæc obligatio præ cæteris necessaria, immutabilis ac indispensabilis, cum respectu Dei, tum multò magis respectu hominum dicitur. Et tendunt quidem rectà viâ istæ Leges ad felicitatem hujus vitæ obtinendam, si tamen, ut, qui his obsequiosè se subjiciunt, obsequii sui præmium à Deo etiam in altera vita se obtenturos sperent, id quod effata probiorum è Gentilibus non una loquuntur. Longè aliter se res habet in plerisque horum cum Legibus Divinis Positivis, vere scilicet & propriè talibus. Nam de iis non per rationem, sed per revelationem & scripturam constat; Unde à Theodoro (quem eruditionis nomine admirari in toto patrum choro fas est, judicio Bœcleri, Comment. ad H. Grot. l. 1. c. 1. §. 15. p. 173.) rectè ἡ νόμος ἐν γραμμασι, *lex scripta* vocantur, Comment. in Psalm. XVIII. Opp. Tom. I. f. 403. Ratio introducti hujus Juris est peculiaris quædam causa, quæ sanctissimum legislatorem movit, nobis non semper adeò perspecta, quærenda tamen plerumque in eorum, ad quos pertinet, subjectorum emolumento. Unde Conclusiones non nisi singulares ad certum tantum actionis quoad Jus Naturæ indifferentis genus attemperatæ & ad definitū certumque tempus aut populum plerumque restrictæ nascuntur. Actiones hoc jure reguntur etiam internæ & tales, quas Naturæ Leges, quales quidem secundum conditionem naturæ hominum per lapsum debilitatæ hodie sunt, (nam in felici statu longius rationis oculum prospexisse quis dubitaverit: Vid. Osander Typ. Leg. Nat. §. 44. 45.) ferè insuper habent, ceu patet, inter alia ex confessione Pauli Apostoli, iniquitatis, τὴν ἐπιθυμίαν ἢ καὶ ἴδεν, εἰ μὴ ἡ νόμος ἐλάλει, ἢ ἐπιθυμῶν, *concupiscentiam non cognovis-*  
sem

*sem esse peccaminosam, nisi lex* (scilicet Divina Positiva, *Exod. XX. 17. Deut. V. 21.*) dixisset: non concupisces. Æquè quidem hæ Leges Positivæ, ac aliæ, vim suam habent à jussu Divini Legislatoris, obligationem non minus rigidam, ac Naturales, producente; sed, quatenus in Theologia morali præcepta Decalogica ad Leges Positivas vulgò referri solent (quo de mox pluribus) dispar iterum harum & Naturalium conditio existit; dum illæ rationem quandam fœderis inter Deum & homines habent, *Exod. XIX. 5. Deutr. V. 2. 3.* hæ verò simpliciter & vi Imperii à Deo hominibus injunguntur. Conf. Pufend. *Offic. Hom. & Civ. l. c. præfat. §. 7. seqq.* At cum merè Positivarum Divinarum Legum rationes pene singulares sint; & mutationi obnoxix, inde dubium non est, quin qui autor earum est (ipse scilicet Deus, nemo alius,) eas vel omninò tollere, vel aliquas subjectorum ab earum observantia eximere possit; ut alia plura, quæ in hisce Legibus dantur, discrimina nunc missa faciamus.

§. V.

De Exemplis L.L. Divinarum modò recensitarum dubiū fortè non est, eas ad Positivas debere referri, sed quod ad Decalogi præcepta attinet (quæ Moralis Legis, prout Ceremoniali & Forensi opposita, nomine plerumque efferuntur) non adeò liquidum est, utrum pro Positivis haberi, an verò Naturalibus accenseri debeant. Ut distinctè procedamus, observandum est, quod quæstio non sit de *circumstantia temporis* in præcepto tertio, vel *concupiscentia*, prout ea in decimo præcepto prohibita, quippe quæ duo capita inter dictamina rationis hodie

diè non comparere communis sententiâ est; quamvis de posteriori, an ex loco *Rom. VII, 17.* satis evincatur, adhuc ambigi possit. Deinde de eo etiam non est dubium, quin Decalogi præcepta, quatenus apud populum Judiacum ἀπέους promulgata fuere, & prout hodiè ad Theologiam moralem referuntur, singularem, & à Naturæ dictaminibus plane diversam rationem acceperint, id, quod late docuit *l. c. Pufendorf. Osiander. Annot. ad Grot. prolegom. observ. 17. p. 105.* & alii. Neque inficiabimur, hoc respectu eas quodammodo pro Positivis venditari posse, quemadmodum nihil repugnat, ea Juris Naturalis capita, quæ in Legibus Romanis deprehenduntur, hisce adnumerari; cum omnino Summorum Imperantium sit, Naturæ Legibus per sanctionem expressam vim Legum Civilium aliquando impertiri, docente iterum Pufendorf. *L. c. L. II. c. 12. §. 3.* Enimvero uti impropria hæc & ab accidente tantum desumpta acceptio est, quæ Legibus in se & sua substantia ferè Naturalibus tribuitur; ita ulterius de eo imprimis disquiri solet, quâ ratione Gentes, & adhuc Christianos, imò omnes omninò homines præcepta Decalogi universalia obligent; an vi insitæ omnium hominum cordibus notitiæ, quam *generalem & naturalem publicationem* dicere possis; an vero vigore promulgationis factæ in monte Sinai, quam *specialem & iteratam* appellare fortè non fuerit absolum? Negaverit prius facilè nemo, nisi velimus admittere, Deum frustra & citra intentionem obligationis ista dictamina hominum cordibus inscripsisse; & suffecisse, quoad vim obligandi, vel solam istam publicationem colligi posset ex eo, quod etiam ad ἀπόλειαν τῶν ἔθνων, ὅσα ἀνόμους ἤμαρτες, eam satis fuisse

validam ipse Apostolus dicat, *Rom. II, 12.* Ad posterius verò quod attinet, notum est, affirmativam tenere nostrates Theologos, & statuere, quod, quâ ratione tota doctrina cœlestis, seu credenda de Messia, licet Ebræis, tum quippe totum fidelium cœtum repræsentantibus, immediatè revelata, tamen ex intentione Dei ad omnes homines pertinuerint; eâdem quoque de faciendis leges Decalogi, licet promulgatio earum immediatè tantum apud Ebræos contigerit, ad omnes tamen Gentes ex intentione Dei vim suam porrigere debeant, imò nos Christiani hodiernum virtute istius promulgationis obligemur. Vid Danhauer. *Colleg Decalog. p. 27.* Osiand. *Theol. Moral. P. I. c. 12. §. 5.* Calov. *Bibl. illustr. T. 1. ad Exod. f. 396.* Zentgrav. *l. c. sect. 1. sub-sect. 2. p. 45. it. 113. seq.* Confer etiam adversus Grotium disputantem Osiandr. *l. c. ad Thef. 16. obs. 1. p. 284. seqq.* Atque hâc quidem ratione præcepta Decalogi, quamvis universali ratione subnixa, etiam ad leges Divinas Positivas, & quidem Universales referendæ essent. Verum cum propositum nobis sit, hac vice tantum Leges Divinas Positivas propriissime & simpliciter sic dictas sectari, idcirco de Decalogicis, utpote secundum quid tantum Positivis, nihil in sequenti tractatione proferemus amplius, maximè cum metuendum sit, ne vocabulo aliquo non satis commode posito Socinizare videamur us, qui Hæreticos venantur, quorum

*retia rara, plagas, latò venabula ferro*

evadere majore fortè opus est perspicaciâ, quàm qualem in nobis esse deprehendimus.

VI. Omnia

§. VI.

Omnia autem præcepta ista Positiva Divina non nisi ex Sacris Literis hauriri possunt ac debent, id quod inde satis constat, quia nihil aliud datur, undè de Divina voluntate certi esse queamus, præter Sacra ista Oracula, in quibus eandem Deus nobis manifestavit. Quare etiam nullas Leges Divinas Positivas nobis obtundi patiemur, quàm quas à Deo in Sacro Codice reverà latas esse liquidò doceri potest. De Ebræorum Magistris quidem notum est, quod ex Traditionibus suis septem præcepta passim jactitent, scilicet I. de vitando cultu extraneo. II. de de maledictione Numinis. III. de effusione sanguinis. IV. de revelatione turpitudinum ex concubitu, V. de furto ac rapina VI. de Judiciis seu regimine forensi ac obedientia Civili, VII. de membro animalis viventis non comedendo. Hæc vulgò præcepta Noachidarum seu filiorum Noachi ab ipsis dicuntur, quod nimirum à Deo Noacho, ab hoc ante obitum liberis, & ab his toti posteritati inculcatà fuerint, quemadmodum etiam in ipso mundi exordio Deus Adamo eadem proposuerit, & quidem in verbis *Gen. II, 16. & præcepit Dominus Deus ipsi Adam dicens: de omni ligno comedendo comedes*, quæ per Cabalam ita Rabbinorum nonnulli exponunt, ut contineatur in verbis: *& præcepit*, præceptum de Judiciis; *Dominus*, præceptum de non maledicendo Nomini seu Numini sanctissimo; *Deus*, interdictum cultus extranei seu idololatriæ; *ipsi Adam*, seu homini interdictum homicidii; *dicens*, interdictum incestus, quia scilicet: *dicit Dominus, alibi, Jerem. III, 1. increpa-*



crepationi de scortatione subjungitur; *de omni ligno her-  
ti*, inderdictum furti, *comedendo comedes*, interdictum  
de membro animalis viventis; quemadmodum latius hæc  
tradit Joh. Seldenus *Jur. Nat. & Gent. juxta Disciplin.  
Ebraor. per tot. & maxime l. I. c. 10.* Enimvero uti ple-  
raque in his ad Leges Divinas naturâ notas, & sine du-  
bio ipsis Protoplastis jam cognitæ referri possunt; ita  
quæ (præter, nonnulla ex *Genes. IX, 4. & 6.* petita) de  
publicatione vel sanctionis modo, nec non de ratione  
eliciendorum horum præceptorum ex adducto *Geneseos  
cap. II.* (unde sane fidiculis etiam adhibitis ea non extor-  
queres) garriunt Talmudici Doctores, ea talia sunt,  
quæ meritò anilibus fabulis, quibus abunde eorum libri  
scatent, accenseri debent. Conf. Osiandr. *Annot. ad  
Gros. l. 1. c. 1. ad Thef. XVI. obs. 3.* Ejusdem quoque fa-  
rinæ sunt, quæ iidem nugatores de *Mischna* sive ore prolatâ  
quadam Lege somniant, quam in monte commoratus per  
noctem à Deo acceperit Moyses, ac hujus jussu deinceps  
populo Israelitico publicaverit, quo de Joh. Didac. Mi-  
randula, *in Apol. de Magia Naturali & Cabala Ebr. Conf.  
Osiandr. ad. L. 1. c. 1, Thef. 16. obs. 1.*

§. VII.

Pergendum est ad Divisionem LL. Positivarum Di-  
vinarum, ut visis etiam earum speciebus rem distinctius  
concipere & solidius dijudicare queamus. Hugo Gro-  
tius (non quidem primus, cum etiam jam Suaretius *de  
Legg. c. 1. §. 5.* ac forte alii, præcepta Dei & universalia &  
particularia Positiva admiserint) Jus divinum voluntari-  
um in *universale* & *particulare* distinguit, quamvis isdem

termi-

terminis non utatur. Illud vocat, quod toti humano generi datum, hoc, quod uni populo, scilicet Ebræo. *Jur. Bell. & pac. l. I. c. 1. §. 15. 16. Conf. Pufendorf. 7. Nat. & Gent. L. V. c. 7. §. 9.* Et hactenus quidem rectè; Nam Sacras Literas cum cura evolventibus adparebit facile, reperiri ibidem *decreta quadam voluntatis divina, omnibus hominibus, vel certis personis totum genus humanum representantibus expressè promulgata, quibus Deus omnes homines intuitu actionum, quoad Natura Jus indifferentium exactissime obligat, ad aliquid vel faciendum vel non faciendum, & quidem ex peculiari quadam ratione, de quâ ex sola natura dictamine tam liquido non constabat.* Descriptio hæc est Juris Divini Positivi Universalis, quæ ipsa etiam Particulari accomodari poterit, si pauca verba mutantur, & loco omnium hominum & personarum totum genus humanum representantium, ponatur solus populus Judaicus, quippè ad quem solum usque ad adventum Messiae duraturæ particulares istæ leges ex intentione Dei promulgantis spectare debebant. Cæterum in argumento hoc variè offendit Grotius, & quidem quoad Jus Universale, dum tribus vicibus illud humano generi datum ait, statim post hominem conditum; iterum in reparatione humani generis post diluvium, & postremò in sublimi reparatione per Christum; Nam tertiam illam vicem (siquidem ea mens Grotii est, quod Leges verè novas & Positivas Universales Christus dederit) rectius negamus, licet locutiones de lege Christi, eaque certa ratione novâ in sano, hoc est eò, quò Scriptura Sacra accipit, sensu tolerari posse alibi fuerit evictum. Quoad Jus verò Positivum Particulare, sive

C

13

in Judæorum solorum gratiã publicatũ, non uno modo hal-  
lucinat<sup>9</sup> est vir Magnus, imprimis, quando *nullã legiſ Ebrai,*  
*quã lex eſt proprie, parte nos Chriſtianos obligari* ait; id quod  
tũ propter præcepta Decalogi, tum propter Leges Connu-  
biales in Lege Moſaica comprehenſas & alias omninò fer-  
ri non poteſt, ceu pluribus oſtendunt ejus Commentato-  
res, Oſiander, *ad h. l. Theſ. XVI. obſ. 1. ſeqq.* maxime *ſ.*  
*Zigler, ad h. l. p. 63.* Bœcler *ad h. l. §. 15. p. 172.* Guil. van  
der Muelen *ad h. l. p. 55. ſeqq. max. p. 64. ſeqq. alii.* Equi-  
dem D. Pauli *de veris Jurisprud. princip. p. 11. qu. 22. p. 149.*  
excuſare Grotium conatur, & admittenda ejus verba exi-  
ſtimat, ſi de *obligatione directã* explicentur, cùm hodiè  
non niſi per indirectum Leges V. T. nos ſtringant. *Licet,*  
*inquit, DEi O. M. Ebraorum Legislatoris ea olim intentio fu-*  
*erit, ut Leges, quas per Moſen publicabat, Iſrãelitã tantũ*  
*tenerent; obligatione directã; negari tamen ſubinde non po-*  
*teſt, per quã DEO gratum eſſe, ſi in rebus non planè Judæo-*  
*rum propriis, ſed omnibus Gentilibus quaſi communibus ſan-*  
*ctitatem ejus & juſtitiam, quantum fieri poteſt, intentione*  
*piã & devotã æmulemur.* Enimverò dũ Grotius omnem  
omninò, & ſic quoque indirectam obligationem negat,  
parum hæc declaratio Grotianam ſententiam juvabit.  
Præterea veremur, ut id ſatis ſobriè dici poſſit,  
quod D. Pauli vult; ſcilicet, ex intentione Dei De-  
calogum publicantis directò tantum Judæos obligari de-  
buiſſe, nobis ſufficere, ſi piã mente & obſervantia illos  
æmulemur. De Civilibus nonnullis hoc admitti poſſit;  
ed quod ad Morales & alias Poſitivas Univerſales attinet,  
nos æque directò ac Judæos, licet non tam immediate  
vim ſtius publicationis afficere ſumus perſuaſi.

§. IIX.

Admissò igitur, quod satis solidum esse putamus, istò LL. Divinarum Positivarum in Universales & Particulares generali discrimine, non adè tamen pronum & expeditum est, quomodo vulgarem Juris Divini in *Morale, Cæremoniale & Forense* divisionem cum eò conciliemus. Non urgebimus illud, quod *ad morale* nullis ambiguitatem hic pariat ex eo, dum, si Morales leges sunt, quæ *moralem habent rationem*, etiam Cæremoniales (adde & Forenses) isthoc nomine insigniendæ venirent, id quod urget Heideggerus contra Becmannum, *de sanguine & suffocat. c. V. §. 4. seqq. D. Pauli l. c.* Nam si moralis ratio ea est, quæ physicæ opponitur, vel quæ mystici quid in se continet, vel cujus ultimum fundamentum in naturali honestate positum est, talem quidem Divinis reliquis omnibus denegare non possumus, ceu latè de Cæremonialibus in specie probat *Joh. Spencerus l. I. & II. de LL. Ebraeor. Ritual.* ipsæ tamè Leges Cæremoniales ideo *morales* propriè sic dictæ non evadunt, quia ratio moralitatis universalis proxima easdem deficit. Neque illum nunc movebimus scrupulum, quod, cum *ad morale* non unius generis Leges ab objecto & fine, quatenus mores hominum ad obsequia universalibus decretis præstanda componunt, determinat, quod, inquam, hac ratione de LL. Positivis Dei Universalibus solis id prædicari non possit, sed æquè Naturalibus tribuendum sit, quemadmodum & vulgò utrasque *morales* nominari notissimum est. Duplici enim modo leges Divinæ humanas actiones seu mores respicere possunt, alterò, quò per causam ex ipso naturæ dictamine necessariâ

ac universalem ; alterò , quò per rationem ex peculiari  
 DEI voluntate talem de iis disponunt , unde duplex mo-  
 ralitas , naturalis & positiva , quemadmodum eadem di-  
 stinctione utuntur etiam Osiander *l. c. ad Grot. Th. XVII.*  
*Obs. 4. p. 307. Zentgrav. l. c. p. 71.* Atque adeò nihil re-  
 pugnat , Leges Decalogi dici morales , licet id nominis et-  
 iam Naturalibus competat , præsertim quum quoad sub-  
 stantiam suam easdem ferè esse utrasque apud omnes in-  
 confesso sit , atque sic in hisce utraque moralitatis ratio  
 concurrat. Circa *Cæremoniales & Forenses* scrupulus re-  
 sidet non unus , quò referri debeant , ad Universales an ve-  
 ro ad Particulares : Posteriolem sententiam ferè receptam  
 in libellis systematicis plus satis notum est ; sed cum in Cæ-  
 remonialibus etiam lex de Sabbatho , in Forensibus Leges  
 Connubiales ac aliæ , non solos quippe Judæos obstrin-  
 gentes contineantur , aliter paulo & distinctius hic proce-  
 dendum existimamus. Placet autem ordo , quem facit  
 D. Titius , *ad Pufend. Offic. l. 1. c. 3. obs. 91. § 4. seqq.* Le-  
 gem Div. Positivam in *Religiosam & Politicam* distinguit ,  
 quarum illa officia hominum circa cultum Dei & religio-  
 nem dirigat , hæc verò indicet , quid ipsis circa alios in so-  
 cietate civili degentes sit observandum. *Religiosam* por-  
 ro discernit in *Particularem* , quæ solis Judæis data est , &  
 in *Universalem* , quæ & alios , præter Judæos obligat. Spe-  
 ctat huc sine dubio Lex de Sabbatho , quoad morale. An  
 etiam Mysteria illa , quæ sub Cæremoniarum involucris la-  
 titabant , ex intentione Dei ad omnes omninò , quorum  
 æterna salus inde pendebat , homines spectantia , huc tra-  
 hi debeant , dubitarem , nisi præeuntem haberemus Osi-  
 andrum , qui , *Lex Cæremonialis* , inquit , *Veteris Testamenti*  
nil

*nil aliud erat, quam Evangelium V.T. Habuit enim Typum & umbram futurorum bonorum, Ebr. X, 1. & hoc sensu non absurdum est dicere, Gentiles, si salvi vellent esse, debuisse doctrinam illā populi Ebraei amplecti l. c. ad Th. XVI. Obs. 1. Et cum hoc sensu etiā Dn. Thomasius dixerit, in Ceremonialibus beatitudinem eternam generis humani Deum intendisse l. c. l. 1. c. 2. §. 127. non apparet ratio, cur ipsum propterea notet Titius l. c. p. 154. Ne aliquos irriteremus, vel falcem in messē alienam immittēre velle videamur, aliis hanc quæstionem latius discutiendam relinquemus, utpote qui leges, qua faciēda, non qua credēda, pro objecto tenent, evolvere propositum habemus. De Cæremonialibus Particularibus aliquid amplius differere nihil attinet, sed remittimus hic plura desiderantes ad Grotium, qui l. c. §. XVI. fusius ostendit, sine ritibus, sacrificiis, imò ipsa circumcissione Gentes potuisse ad Deum verum converti, licet in multis & hoc in argumento, maxime verò quoad illud errasse arguatur, dum Circumcissionis necessitatem ad universam Abrahami posteritatem extendit, quæ tamen, vi fœderis Divini ad solos Israelitas sive Jacobi progeniem spectaverit, ex probabiliore sententiā, quam pluribus deducunt Valquez. in III. part. Thoma, Tom. 2. disput. l. 62. c. 1. & Osiander l. c. ad Th. XVI. obs. 5. Conf. Selden. de Synedr. L. 11 c. 3. n. 4. contrarium tenentibus Herman. Witlio. Oeconom. Fæder. L. IX. c. 8. Zieglero l. c. p. 62. ac aliis, apud hos ex parte citatis. Pergimus ad Legem Positivam DEI Politicam civilia negotia moderantem. Ea iterum vel *Vniversalis* evadit, quatenus scilicet in certis capitibus omnes homines æquē ac Judæos ex peculiari*

quadam ratione Deus eidem obligatos voluit ; vel *Particularis* , quâ soli iterum Judæi stringuntur, quæque cum Judæorum Republica concidit. Illius Exempla jam adduximus , nimirum Legem de vitanda Polygamia , & divortio ; item Connubiales ac alias, de quibus in Sect. seq. Hujus, quâ talis, apud nos nulla vis est amplius, licet nunquam apud nos abrogata. Recte enim Grotius: *non, quod nos attinet, probanda est ulla legis Particularis Positivæ abrogatio; nam nec abrogari potuit eorum respectu, quos nunquam obstrinxit. Sed ab Israelitis ablata est obligatio, quoad ritualia quidem (i. e. cæremonialia) statim postquam lex Evangelii cepit promulgari; quoad cætera verò (i. e. Forensia) postquam populus ille per excidium urbis & desolationem præcisam sine spe restitutionis populus esse desit. l. c. Singularis erat planè quam plurimis in capitibus hujus juris conditio, itaque ad genium Gentis Judaicæ id attemperatum (aliquando quippè supra aliarum LL. rationem lenius, aliquando rigidius) ut Rebus publicis aliis nostrisque aptè accommodari nullo modo possit, ceu eleganter ostendit laudatus Pauli. l. c. p. 151. seqq.* Usus tamen illius adhuc esse insignem tum ex iis patet, quæ (non quoad omnia quidem ad probanda) habet Grotius l. c. §. XVII. tum quoque hinc colligere licet, quod multis in casibus ea adhuc pro norma ac cynosura nobis esse possit, & rectius fortasse ac tutius, aliquando Divinæ hujus legis capitâ, quàm quæ ex Gentilium nomotheticis voluminibus deprompta sunt, in Christianorum Republicis reciperentur, quod eò minus dubii habet, quoniam omnes fere Legislatores Gentilium ex hoc fonte Le-

ges

ges suas hauiffie communis fententia eſt, & pluribus probant Joh. Velvodus, in *Parallelis Juris Diuini Iudæorum & Civilis*; Franciſcus Raguellus, de *LL. Politicis ex Juris prudentia Sacra fontibus hauſtis*; Joh. Calvinus, in *Theſide Hebræo-Romana*; Wilhelmus Zepperus, in *LL. Moſaicarum forenſium explanatione*; Joh. Henricus Hottinger, in *Juris Hebræorum LL. CCLXI. recenſiti à Celeberr. Dn. Hertio, Comment. de Jurisprud. univerſal. ſect. 1. §. 42. Opuſc. p. 54.* Unum adhuc, antequam hinc diſcedamus, notandum venit, nimirum *Vniuerſalem* Legem poſſe dici talem vel *ſimpliciter*, id eſt ratione tum temporis, tum ſubjectorum obligandorum, quatenus & in Veteri & in N. Teſtamento erga omnes homines vim ſuam ea exerit; & tales ſunt pleræque: Vel ſic vocari *ſecundum quid*, quatenus omnes quidem homines obligat, ſed non omni tempore; quò referimus prohibitionem arboris, & ſi quæ ſunt ſimiles.

§. IX.

Non autem poterimus de Legibus Poſitivis Uni-  
verſalibus reddi magis certi, quàm ſi ad *νεπιθηια* ſive notas  
characteriſticas earundem curatius paulò reſpexerimus.  
Primùm igitur aliorum recenſebimus ſententiam, dein-  
de noſtrum de iis feremus judicium. D. Titius *l. c. Obſ. 91.*  
§. 9. ad Ziglerum nos ablegat, qui, *Not. ad Grot. L. 1. c.*  
*2. §. 6.* ex B. Chemnitii *Loc. de Lege Dei c. 2. γυναικων*  
LL. harum in medium proferat. Zigleri verba ſunt hæc;  
*Vt autem, quousque moralia ſe extendant, exactius conſtet.*  
*Chemnitius iſta ponit νεπιθηια: Quicquid (I.) conſentit*  
*cum notitiis Naturalibus (II.) à Moſe atque Prophetis*  
*oſten-*



offenditur pertinere ad omnes Gentes. (III.) & in N. T. repetitur & præcipitur, illud obligat omnes homines, & est morale (scilicet Cæremoniali, Forensi & suo modò Naturali oppositum) secus, quod contra. Not. ad Grot. L. 1. c. 2. §. 6. p. 81. Dn. Thomasius tria harum legum requisita ponit. (I.) ut scriptura doceat, actum aliquem vetari aut præcipi, (II.) ut id præceptum toti humano generi sit latum (III.) ut eò mandata aut prohibita non possint ex convenientià aut disconvenientià cum naturâ hominis rationali ac sociali deduci. Dissert. de Crimine Bigamiæ, §. 18. Conf. Instit. Jurisprud. Div. L. 1. c. 4. §. 79. Ultricus Huberus notam earum in hoc quærit; si probabilem tantum honestatis rationem habeant, eaque LL. Decalogi per hoc, quod isthæ morali necessitate nitantur, contradistinguit. De Jur. Civit. L. 1. sect. 1. c. 5. §. 17. 18. D. Titius sic procedendum esse putat, ut primò dispiciatur, an præceptum aliquod in S. Codice occurrens sit Naturale, an Positivum; Deinde Universale an particulare sit, cui dijudicando hæc regulas sufficere arbitratur: (I.) Regulariter omnes Leges à Moyse propositæ censentur particulares, quia populus Judaicus peculiarem constituit civitatem, cui adeò soli de Legibus Deus prospicere voluit. (II.) Tum vero Universales erunt, si vel ante Rempublicam Judaicam data esse appareat, vel Deus Gentiles ob earum transgressiones se punivisse profiteatur. Ad Offic. Pufend. Obs. gr. n. 9. Jam quod attinet ad Chemnitii *νετιήρια*, ea D. Titio non placent: *iis non valdè quis profecerit*, inquit l. c. & forte quidem idèò, quia etiam consensum cum LL. Naturalibus inter eadem refert Chemnitius, cum tamen constet, objecta LL. Divinarum Positivarum quoad

Jus Naturæ esse indifferentia. Enimverò quoad prius criterium videntur in *dd. ll.* Chemnitius & Zieglerus loqui non de quavis Leg. Div. Positivâ Universali ; sed tantum de Morali Decalogica, quatenus ista rationis dictamina pro fundamento habet, quò respectu utique rectè dicitur, quod cum notitiis Naturalibus convenire debeat. Imò posset, tametsi generaliter loqueretur Chemnitius, id tolerari, & commodum sensum accipere, *si consentire idem esse largiamur quod non adversari.* Quæcunque enim Divinæ Positionis sunt, ea Naturæ Legem repugnantem habere non possunt, nisi contradictoriam in Deo voluntatem (quòd absque impietate nequit) admittere velimus. Circa requisitâ *Dn. Thomasi* id desiderandum videtur, quod secundum eorum, in quo maximè cardo rerum vertitur, petit id, quod est in principio. Non enim dubium est, quin Sacer Codex sit principium, unde Leges istæ Divinæ Positivæ Universales cognoscuntur; nec illud, quod objecta LL. istarum intuitu fundamenti, quod Juri Naturali substernitur, sint indifferentia; Sed hoc potissimum in quæstione est, unde distinctè sciri possit, ex Legibus in Sacra Scripturâ propositis, & ex solâ consideratione humanæ naturæ non eruendis, esse aliquas, quæ totum genus humanum obligent, quænam istæ sint, & unde dijudicentur? *Huberi* etiam nota non sufficit, dum inde colligi posset, omnes Leges Forenses nos adhuc stringere, ac adeò pro Positivis Universalibus haberi debere, quum vix ulla earum *probabilis honestatis ratione* destituatur. Nec omninò nihil est, quod circa D. Titii sententiam moneri posset. Quò minus enim illud pro indi-

cio Legis Divinæ Positivæ Universalis haberi possit, si Deus ante Rempublicam Judaicam quid ordinavit, ob-  
 stare videtur præceptum Genes. IX. 4. *de Sanguine & suffocato non comedendo*, quod sane cum typici quid in se continuerit & umbram rerum futurarum, ad Universalia Dei Decreta referri non potest. Nec omni dubio caret, quando hinc Legis Divinæ Positivæ Universalis signum peti posse existimat D. Titius, si propter Legis alicujus transgressionem Gentiles se punivisse Deus profiteatur; cum tamen de eâ per rationis dictamina non constare potuerit. Respicit, nisi fallimur, D. Titius ad *Levit. XVIII. 24.* ut Leges connubiales ibidem propositas in censum harum redigere possit. Verum enimverò cum Leges istæ Divinæ Positionis retrò operari, & ante tempus publicationis quemquam obligare non potuerint; rectius ista verba commatis 24. ad proximè præcedentia (ubi de sceleribus contra ipsam Legem Naturæ admissis, nimirum de immolatione liberorum Molechio factâ, de Sodomiticis itém concubitibus agitur) restringenda videntur; maxime cum concipi vix possit, *quomodo*, si de omni ibidem interdicto concubitu verba ea accipere velimus, *Deus iisdem terram promissionis dare potuerit, qui geniti erant ex concubitu Levitici dictò Capite improbato, Patriarcharum scilicet D.EO tamen dilectissimorum, qui in statu gratiæ perpetuò manserunt.* D. Pauli, *l. c. p. IV. qu. 22. p. 149.* Eadem fere signa sunt, quæ adducit D. Joh. Frid. Ludovicus, *Històr. Jur. Divin. Naturalis & Positiv. Universal §. 115. seqq.* quare cum ex hæctenus dictis de iis sufficienter judicari possit, non erit opus, ut diutius circa

circa

circa ea occupemur. Videndum potius, annon certius quid, in quò pedem figere possis, invenire liceat, aut saltem, annon laxiora præcedentium dicta aliquantò magis determinari possint, ut à dubiis, quæ mora fuerunt, non sit metuendum. Tentavit id Dn. Præses, *Comment. ad L. I. C. II. Offic. Pufendorffii, ad §. XVI.* in eo *ἡνωσθησαν* Legum Divinæ positionis Universalium quærens, *si (I.) vel Deus discretè in V. Testamento declaraverit, enixe se aliquid velle, vel factò aliquo se gravissimè offendi, de quorum tamen ratione per Natura dictamina satis liquido non constat: Vel si (II.) in Nov. Testamento Christus vel Scriptores Θεόπνευστοι (optimi Divinæ voluntatis interpretes) de actione aliqua pronunciaverint, eam prima institutioni, vim Legis habenti, & voluntati DEI congruere, vel adversari, licet ejusdem indulgentia vel tolerantia eadem aliquamdiu publicè obtinuerit.* Posterius, si rectè sentimus, luce suâ radiat, firmoque stat talo. Quoad prius verò requirit (I.) ut Deus vel verbis vel factis declaraverit, se aliquid fieri enixe velle, aut se re aliqua gravissimè offendi; id quod indè pateat, si Deus præceptum aliquod singularibus & gravibus rationibus vel pœnis veluti comuniverit; v. gr. *Gen. II. 17. III. 16. seqq. IX. 6.* si factum aliquod impuritates Infidelium adauxisse testetur. v. gr. *Lev. XVIII. 3. seqq.* (II.) Ut istius, quod jubet, vel vetat, ratio sit quodammodo moralis, ad omnes omninò legi subjectos homines respiciens. Nam Deus etiam aliquando quid fieri vult, vel sibi quid disciplicere ait ex ratione typicâ ac mysticâ, imò Politicâ, undè non statim nota quædam voluntatis in univèrsum quid statuentis

nascitur. (III.) Ut tamen de ratione ista per solum Naturæ dictamen non constet. Ecquis enim dubitaverit, aliqua Deum præcipere posse, quæ solo rationis lumine homines non assequuntur; & viceversa aliqua moraliter posse esse illicita, & Sanctissimæ voluntati Dei certo modo adversa, homini quidem tum, cum adhuc integræ esset naturæ, probè perspecta, sed ob hebetatam lapsu rationis aciem nunc invisibilia reddita, nisi quatenus per gratiosam revelationem benignissimum Numen videndi copiam denuò restituit. Quibus præmissis firmæ videntur nasci collectiones, & quidem quoad prius hæc: *Quæcumque propter rationem aliquam moralem se enixe velle, vel sibi displicere in V. T. Deus disertè declaravit, in iis nulla præsumitur divina voluntatis mutatio, nisi ea facta evidenter doceatur: per consequens eorum prohibitio apud Christianos adhuc perdurat. Quo ad posterius: Quæcumque tanquam Dei institutioni & voluntati congrua Christus & ἁγιογρῶται Scriptores in Nov. Testament. declaraverunt, ad ea nos adhuc obligamur; & vicissim, quæcumque ut DEO adversa isti damnarunt, illa, licet usu apud Judæos ipsos aliquamdiu obtinuerint, à DEO tamen nunquam perfectè & plenè adprobata sunt, & per consequens eorum quoque prohibitio adhuc apud Christianos perdurat.* Dum verò de Christianis sermo est, Gentiles non quidem omninò ab obligatione Legum harum exclusos esse putamus; putamus tamen quodammodo excusatos, maxime à poenâ, quatenus, quantum satis, ad eorum notitiam leges non pervenerunt. Grot. l. c. l. l. c. 1. §. 15. Isthæc enim

enim præcepta cum non ad fidem & salutis reparatio-  
nem spectent , adeoque diversa eorum à mediis , quæ  
æternæ beatitudini reparandæ DEUS in Sacris Literis  
manifestavit , sit ratio ; indè etiam de obligatione & effe-  
ctu utrorumque non eodem modo pronuntiandum esse  
videtur. Γνωρίσματα hæc LL. Divin. Positivarum Uni-  
versalium esse genuina tam diu statuemus , donec me-  
liora ab aliis edoceamur. Adæquata etiam esse , opti-  
mè adparebit ex sequentibus , ubi ipsa singularum  
talium Legum exempla recensendo monstraverimus ,  
factâ applicatione notas hæc characteristicas in nullo  
fallere.

§. X.

Quamvis autem ex dictis hisce jam satis con-  
stet , dari omninò Leges quasdam Divinæ Posi-  
tionis Universales , in quò consentientes habemus non  
solum , ut audivimus , Suarezium , Grotium , Ziegle-  
rum , Thomasiū , Titium *ll. cc.* sed & B. Scherzerum ,  
*System. Theol. Loc. IX. §. 6.* Kulpisiū , *Colleg. Gros. ad L. II. c. 5. th. 6. lit. 7.* Henniges , *ad Gros. Prolegom. p. 4.* Lauter-  
bach. *Compend. Jur. de Just. & Jur. & Dn. Stryck. Annot. p. 19.* (qui quidem *morale positivum* id jus rectius dici posse  
putat ; ) Zentgrav. *l. c. sect. II. subsect. 3. p. 126. seqq.* ac fortè  
alios tam Theologos , quàm Jctos ; quamvis , inquam ,  
adducti hi omnes à partibus nostris stent , non desunt ta-  
men , qui totum istud Jus in dubium vocare conantur , au-  
diendi nunc ante , quam ad enumerationem ipsarum LL.  
Divinarum Positivarum Universalium progrediamur.

D 3

Pro-

Prodeat igitur primò D. Hieronymus Brüknerus , qui passim in Decisionibus Juris Matrimonialis eas impugnat, & potissimum in Procemio rationes sui dissensus in apricum profert. Sed ex toto tractatu satis apparet, eum de Legibus hisce Universalibus genuinum conceptum non habuisse, quapropter & illius argumenta, quæ ad propugnandam opinionem suam profert, nostram sententiam evertere non poterunt. Hæc autem duo imprimis urget. *Primò Leges Naturales, unà cum Legislatore DEO, imperfectionis argui, si successu temporis novis Legibus Moralibus Positivis ad regendam vitam temporalem totius generis humani opus fuerit. n. 30.* Sed sicuti omnino sapientia humana causas investigare nequit, ob quas summum Numen generi humano Leges tales Positivas Naturalibus superaddere necessarium duxerit: ita Leges Naturales, & ipse Legislator alicujus imperfectionis inde argui non possunt; alias enim sequeretur, quod etiã Leges Positivæ Particulares, quarum existentia negari non potest, ob paritatem rationis talem imperfectionem arguant, id quod tamen nemo dixerit. Deinde hunc in modum argumentatur, *n. 41. Quæ Leges Positiva toti humano generi per publicationem non innotuerunt, ea etiam totum humanum genus obligare non possunt; illud autem factum fuisse negat, & subjungit; non satis esse aut fuisse, Leges quasdam Positivas ad vitam temporalem spectantes, hominibus prima mundi periodi dare & publicare; sed &, quoties memoria earum apud posteros oblitterata erat, quod ante inventam scripturam facile accidere potuerit, nova earum publicatione opus fuisse, si eos quoq; obligare debuisset.* At Major pro-

propositio Brückneri hic maximè est limitanda, quæ simpliciter accepta stare non potest. Subsumimus enim: atqui etiam lex positiva de abstinendo ab arbore toti hominum generi per publicationem non innouit. E. Totum genus humanum obligare non potuit. Et concedit quidem Conclusionem Brücknerus, *n. 44.* sed non attendit ad statum controversiæ. Non enim quæstio est, an illa lex hodie homines adhuc obliget ad observantiam, & hoc respectu Universalis dicatur, quod nemo sanæ mentis affirmaverit; sed illud quæritur, annon olim in Protoplastis omnes homines obligaverit, & hac ratione pro Universali habenda sit, quod tutius forte affirmatur quam negatur. *Disputari quidem posse*, ait Osiander, *an illa lex, quæ post hominem conditum lata est, scilicet de non comedendo fructu vetita arboris omnes & singulos homines obliget, quamvis in Adamo omnes obligatos ad illam abstinentiam fateatur.* Ad Grot. *L.I. Thes. XV. Obs. I. p. 242.* Sed, uti posteriora hæc verissima sunt, dum constat, propter transgressionem istius Legis nos omnes hodiernum in reatu esse, quod sine obligatione intelligi nequit. Conf. Pufendorf. *Jur. Feacial. divin. §. 26. p. m. 111.* Zentgrav. *l.c. p. 127. seq.* Ita ineptè & frustrà negatur, idè legem istam non posse dici Universalem, *quia hodiè nec arbor illa, nec Paradisus amplius extant*, quod fundamentum dubiorum laudato Theologo fuisse videtur. *l.c. Conf. infra Sect. II. §. 6. p. 78.* Et certè publicatio Adamo totum Genus humanum repræsentanti facta quoad hanc Legem omnino sufficiebat, nec ita facilè memoria cæterarum istarum evanescere potuit, cum primi Patres vitam per tot secula transigentes vivâ voce de iis liberos, hi iterum suam

pro-



progeniem certiore reddere, hocque modo eas conservare potuerint, ceu de Germanis antiquis idem refert Tacitus; donec tandem scripto à Moyse comprehensæ fuerant, ex quo tempore aliâ publicatione amplius non fuit opus. Cætera, quæ Brücknerus circa exempla Legum Positivarum Universalium singula seorsim monet, diluenda Sectioni sequenti reservamus. Celeberrimus Dn. Autor Observationis XXVII. quæ Tom. VI. Observationum Halensium legitur, ut neget existere L.L. Positivas DEI Universales, tanto molimine antea à se adstructas, quem modò potest, movet lapidem, sic tamen omnia ejus comparata sunt, ut ad ostendendum ingenium potius quàm ad evertendas priores meditationes facere videantur. Liceat cum pace Summi Viri, cum hæc maximè nobis officiant, quæ dubia apparent, pauculis quidem verbis, sed candidè aperire. Omnia nisi fallimur huc redeunt, & reduci possunt. (I.) Legem omnem propriè sic dictam putat esse humanam, civilem, positivam, latam hominibus & ab hominibus, §. 2. 41. 42. (II.) Obligationem distinguit in *internam*, ubi homo, cujus voluntas aliò inclinatur, metuit gravius malum ex naturali connexionione cum transgressione oriundum; v. gr. ex violatione Legum Naturalium inquietem animi & amissionem pacis internæ simul ac externæ; item morbos, (ut v. gr. scortator luem venerem §. 40.) & alia in commoda; & in *externam*, cum homo, cujus voluntas aliò inclinatur, metuit gravius malum à libero arbitrio ejus dependens, qui potestatem habet talia inferendi; sicuti ex violatione Legum Civilium metuit

metuit homo pœnam civilem à Legislatore statutam ; §. 10. qua ratione etiam pœnæ propriè sint effectus solarum Legum Politicarum , non Naturalium , non eorum omnium transgressionum , quæ alioqui contra Divinam voluntatem committuntur , §. 40. 42. (III.) Consilia, monita & dogmata moralia, separant à mandatis & præceptis, seu Legibus §. 4. & 13. & illa ex sua naturâ utilitatem civis, cui dantur; hæc autem, & imprimis in imperio absoluto, utilitatem dantis respicere dicit, quapropter & illa obligationem non nisi internam, hæc externam producant, §. 27. (IV.) Ostendit Deum se Adamo & Patriarchis manifestasse ut Patrem, Israelitis solis per Mosen ut Dominum & Regem, omnibus tandem gentibus per Christum ut sponsum, vel doctorem, vel patrem ; §. 35. 37. seq. unde tandem ( V. ) infert: Leges Naturales esse monita paterna; Leges verò Positivas despoticas, & cum ejusmodi Leges latæ fuerint solis Israelitis, non Adamo aut aliis gentibus & fidelibus, qui non nisi monita paterna acceperint, intrinsecè, non extrinsecus obligantia §. 36. inde etiam Leges Divinas Positivas omnes tantum particulares, Universales autem vulgò sic dictas potius conclusiones esse ex principiis decori aut honesti deductas. §. 43. 59. Enimverò ad *PRIMUM* quod attinet, *μὴ γὰρ ἴσως αἰτήματα* hoc est, quod Leges propriè tantum humanis Legislatoribus tribui debeant, non DEO. De voce non erimus solliciti, res ipsa seu potestas Legislatoria in DEO eminenter, ergo & propriè est, imò propriissimè. Et licet nos homines modum, quo insit, nostra ratione distinctè adsequi nequeamus, idèo tamen eam negare non licet,

E

Suf-

Sufficit ; quod hoc prædicatum in DEO nullam infirmitatem coarguat, sed multo magis perfectioni ejus sit conveniens. Sufficit, quod ipse in Sacris Literis id sibi attribuat. Et sanè, si nullum, quod in homines cadit, attributum DEO concedendum est, ne quidem Pater nec Dominus, nec Judex nec Rex dici poterit. Sequstrandum ergò omne, quod imperfectionem in hoc negotio redolet, ubi de Deo prædicatur; cum talia sint prædicata, qualia à subjectis suis esse permittuntur. Quod si verò omnia, quibus Legislatoria potestas in DEO ut impropria pronuncietur, in unam collegerimus, id sequitur: *Leges DEI non esse humanas*, quod affirmare nemini unquam in mentem venit. Inde tamen non sequitur, non dari omninò LL. Divinas verè & proprie tales ex Divino in homines imperio provenientes. Quoad *SECUNDVM* bene quidem se habet distinctio obligationis in *internam* & *externam*, quoad terminos; sed quando eam ex metu mali provenite, & pro hujus diversitate duplicem fieri dicit, *internam* scilicet, si homo metuit malum ex naturali connexionè cum transgressione proveniens, & *externam*, ex metu poenæ oriundam, id quoque neutiquam concedi posse videtur. Nam probi (quales naturâ dari perperam negatur) spontè obligationi satisfaciunt, & directò quidem solius virtutis amore, seu quia Legislatoris voluntatem piè venerantur. Datur ergò obligatio citra metum poenæ, imò tametsi impunè legem violari posse scirent virtute præditæ mentes, obsequii tamen necessitatem semper essent amplexuræ. Et sic solos improbos tangit ista obligatio, qui non nisi poenæ formidine peccare odèrunt, neque quidem

dem obligatio vera ea est, sed effectus potius obligationis in homine improbo, hanc tamen agnoscente, cui, cum stimulis spontanei obsequii non movetur, illa mala proponendo metum incutit. Hoc sensu possumus vocare *obligationem internam* ipsam legum vim, quæ in subjectorum animis necessitatem parendi operatur; *obligationem* verò *externam* coercionem superioris, quâ refractarios ad obsequium legi præstandum adigit, & pœnis terret. Quod jus cum DEO quoque haud dubiè competat, non apparet, quomodo solâ interna (etiam eo in sensu, quo Dn. Auctor Observationis vult, intellecta) obligatio, non vero externa de Naturæ & aliis DEI, quas Universales Positivas vocamus, Legibus prædicari debëat, cum tamen ipse Deus sub comminatione gravium malorum eas subindè inculcaverit, & variis arbitrariis pœnis refractarios coercuerit. *TERTIUM* quod spectat, rectè quidem se habent illa, quod consilia, monita & dogmata quoad vim obligandi à Legibus & mandato differant, dum illa obligationem tantum internam, hæc externam producant, siquidem id eo sensu accipiatur, quò duplicem eam obligationem modò exposuimus. Nam licet is, qui bonum consilium dat, & monitum, aut qui dogma aliquod morale proponit, id non facit quâ legislator, & adeo ipse non obliget; obligatio tamen ad obsequendum hinc nascitur, interveniente Lege Naturæ, quæ piis monitis, bonis consiliis & utilibus doctrinis aurem præbere jubet. Videtur tamen hic adhuc magnum esse discrimen inter monita, consilia & doctrinas, quâ homo eas homini proponit, & quâ DEUS. Priori casu obtinent, quæ diximus; sed posteriore, cum quoad effectum & pœnas:

perindè sit, sive mandatis, sive consiliis & voluntati  
 DEI quocunque modo declaratæ homo obsequium de-  
 trectet, vix est, ut ab interna obligatione externam separa-  
 re queamus. Et sanè nescimus, annon ad inania verborum  
 recidat, si dicamus: hominem, si v. gr. Leges Naturæ,  
 dogma divinum morale, vel consilium aliquod Dei insu-  
 per habet, teneri tantum obligatione internâ, sic, ut in  
 animo inquietem sentiat, & internam pacem amittat;  
 sin contra legem Civilem peccet, obligari extrinsecè, un-  
 dè metuat pœnas à summâ potestate inferendas. Quæ-  
 sumus enim, unde illa animi inquietudo & pacis internæ  
 amissio? Nonne ab eo, quod, qui deliquit, pœnasque  
 Divini Numinis, Domini supremi, Judicis severissimi me-  
 tuit, quas nullo modo (ut quidem aliquando homi-  
 num vindictam potest) se evasurum videt? Quod au-  
 tem monita, consilia & dogmata utilitatem ejus, cui  
 dantur, Leges verò utilitatem illius, qui dat, plerumque  
 respiciant, id parum vel nihil ad rem facit, cum, quatenus à  
 Deo sunt, quoad vim & effectum obligandi convenient,  
 Deus etiam in omnibus æque utilitatem hominū quærat.  
 Est enim hæc imperfectio quædam, quod despotæ in Le-  
 gibus ferendis suam præcipuè utilitatem respiciunt, quæ  
 cum in Deum non cadat, sed omnia <sup>omnesque</sup> intelligi  
 debeant, frustra ad labefactandam Legum divinarum  
 existentiam adducitur. Circa *QUARTVM* nihil  
 monendum est, quàm, quæ subordinata sunt, non de-  
 bere sibi invicem opponi. Diversis respectibus Deus ut Pa-  
 ter, ut Dominus, ut Rex, ut Doctor considerari po-  
 test; Vitamen imperii in nos supremi semper Rex ma-  
 net & Dominus Dominantium, seque ipsum ita nominat,  
 qui

qui, quid & quomodo loqui debeat, optimè scit, nec opus est, utâ nobis, edoceatur. Rem habet, & quidem sine dubio propriissimè; homines non nisi hujus indultu, ut sic invertere quotius ac dicere fas sit, essentialiter Deum potestatem istam Legislatoriam possidere, homines omnes non nisi participativè & per modum dependentiæ. De Lege DEI Positivâ Paradisiaca videbimus deinceps. Respectus iste, quò Christus sponsus dicitur, quæsumus estne proprius, si ad indolem humanorum sponzorum examinetur? Non dixeris; neque etiam opus est, ut verus proprieque talis haberi dicique possit. Non obest tamen hæc appellatio, quò minus & Rex cum omni effectu talis nominari atque Regium Christo officium attribui possit, non obstante statu, in quò tum existerat, exinanitionis, siquidem cum Propheta sic loqui licet. *Zachar. IX, 9. Conf. Matth. XXI, 5.* In *QUINTO* quæ statuuntur, partim solutionem accipiunt ex iis, quæ adhuc dicta, partim deinceps in enumeratione singularum Legum Positivarum Universalium uberius discutientur; unde simul constabit, non repugnare, ut tanquam conclusiones ex principiis decori & honesti (non quidem ex naturæ dictamine, sed Dei singulari voluntate talium) propullulantes considerentur, & sint tamen nihilominus Leges Divinæ Positionis Universales.

# SECTIO SECUNDA,

in quâ

*Species LL. Divinarum Positivarum Universalium verè talium exponuntur,*

## CONSPÉCTUS.

- |  |   |
|--|---|
| <p><b>I.</b> <i>PRIMA</i> LL. Div. Positivarum Universalium <i>de vitanda Polygamia.</i></p> <p><b>II.</b> Aliorum sententiarum, quæ diluuntur.</p> <p><b>III.</b> <i>SECUNDA</i>, <i>de vitandis divortiiis.</i></p> <p><b>IV.</b> Aliorum sententiarum, &amp; ad eas Responsiones.</p> <p><b>V.</b> <i>TERTIA</i>, <i>de abstinendo ab arbore</i></p> <p><b>VI.</b> Aliorum sententiarum, cum Responsionibus.</p> <p><b>VII.</b> <i>QUARTA</i>, <i>de Sabbato colendo.</i></p> | <p><b>IX.</b> Aliorum sententiarum, quæ expendantur.</p> <p><b>IX.</b> <i>QUINTA</i>, <i>de Imperio mariti in uxorem.</i></p> <p><b>X.</b> Aliorum sententiarum, ad ditis solutionibus.</p> <p><b>XI.</b> <i>SEXTA</i>, <i>de Homicida capitaliter puniendo.</i></p> <p><b>XII.</b> Aliorum sententiarum, cum stricturis.</p> <p><b>XIII.</b> <i>SEPTIMA</i>, <i>de vitandis quarundam personarum connubiis.</i></p> <p><b>XIV.</b> Aliorum sententiarum, cum solutionibus.</p> |
|--|---|

### §. I.

**I**N exponendis Specieb<sup>9</sup> Legis Div. Positionis Universalis de ordine non multum erimus solliciti, sed cum servabimus, quò natas eas Sacer Codex refert. Earum igitur cum aliquæ

quæ æque plurimæ ante diluvium , aliquæ post illud lætæ fuerint , de istis primò , de his ultimò locò videbimus. Ac omnium quidem primò occurrit *Lex de vitanda Polygamia* simultanea; sive virorum ea sit, sive fœminarum. Interdicta autem est Polygamia simultanea omnis in prima statim institutione societatis matrimonialis, dum *Gen. I, 27. II. 21. sqq.* legimus , Creatorem sapientissimum unam tantum fœminam uni viro junxisse ; quam quidem institutionem vim legis prohibentis induisse censemus, quia nullus alius finis æque commodus dari potest, cur Deus monogamiam inter Protoplastos instituerit, cum tamen initio mundi ad faciliorem generis humani multiplicationem vel maximè necessarium fuisse videri poterit, ut uni viro satis robusto, & sine dubio fœcundissimo plures uxores in adiutorium concederentur. Confirmat hoc ipse Christus in N. T. dum *Matth. XIX, 4. s. seqq. Marc. X, 8.* ad hanc Dei institutionem, tanquam ad Legem perpetuo observandam provocat, & adulterii reum pronunciat eum, qui post dimissam divortiò priorem Uxorem aliam ducit. Undè firmà collectio, multo magis adulterum esse simultaneè πολύγαμον, per consequens & Dei institutioni & Christi doctrinæ polygamiam repugnare. Spectant huc etiam dicta Apostoli *1. Cor. VII. 2. uxor habeat proprium virum; & 4. maritus sui corporis jus non habet, sed Vxor*, quæ loca genuinam suam interpretationem ex prima conjugii institutione accipiunt. Sed nobis ante omnia ad Jus Naturale circa hoc argumentum abeundum & dispiciendum est, annon & illud matrimonia polygamica prohibeat. Polygamia in duas species dispescitur, Polyandriam scilicet, & Polygyniam. Polyandriam  
quâ



quâ plures mares uni foeminae junguntur, Jure Naturali vetitam esse omnes ferè adhuc (de antiquioribus vid. Hahn. *ad Wesenbec. Tit. de Ritu Nuptiar. n. IV. voc. πολυγαμια*, p. m. 83.) concesserunt, excepto Dn. Thomasio, qui tamen & ipse infimum eandem licentiae gradum obtinere fatetur. *Instit. Jurisprud. Div. L. III. c. 2. §. 26. seqq.* Sed cum ejusmodi coniunctio solummodo explendae libidinis, non verò sobolis procreandae gratiâ fiat, quippe ad quem finem societati nuptiali maxime propriû unius verè viri societas sufficere potest, quin potius promiscua Venus propagationem impediât, & omnem prolis æquè ac patrum certitudinem, quæ tamen in matrimonio necessariò quaeritur, tollat, illaque dulcissima necessitudinum vocabula aboleat, satis vel ex solo lumine naturæ elucescit, hanc consociationem, utpote turpissimam, maxime à natura hominis rationali & sociali abhorrere. Plures rationes contra hosce concubitus adduxerunt Henniges, *ad Grot. L. II. c. 5. §. 8. & Pufendorf. ? N. G. L. VI. c. 1. §. 14.* qui inter aliâ graviter & hoc urget: *in eò maxime differre connubia hominum à commixtione brutorum, quod uxores maritis fidem dent de corpore solis ipsis præbendo.* Neque est, quod vel ad Populorum exempla provoectur, quibus concubitus hic placuit, vel sapientis alias Platonis communionem mulierum in perfecta republicâ svadentis auctoritas commendetur, *L. V. de Republ. & in Prefat. Marfil. Ficin* Nam ut Gentium barbararum mores ad probandum jus perperam adhibentur; ita multa Platonis præcepta, quibus Rempublicam suam formare voluit, idæ sunt inanes, neque nisi in cerebro Platonis locum invenire

venire aptæ. Quod enim putat, hac ratione communem & mutuam civium amorem facilius obtineri posse, in eo egregiè fallitur, & dum nemini vel pater vel frater, vel agnatus certus, omnia potius, quibus familiæ adhuc continentur, vincula rumpi necessum est. Alia quaestio est, an illa Polygamia, quâ *Vnus mas pluribus feminis jungitur*, *Lege Natura* permittà sit, de quò dubitare vix licet. Nam si abstrahimus à revelatione in sacris literis facta, matrimonium, quantum ex recta ratione percipere possumus, nihil aliud involuit, quam pactum de præbendo sibi invicè corpore, in hunc finem, ut certa soboles quaeratur. Nihil autè obstat, quò minus iste finis matrimonii æque commodè impetrari possit, si unus vir idem pactum de procreanda sibi sobole cum pluribus fœminis inecat, iisque fidem det, quod nulli nisi solis istis corporis sui copiam facere velit, ac si de eo paciscatur cum unâ. Imò verò cum vir unus robustior pluribus simul mulieribus ad sobolem proprocreandam faciliè sufficere possit, copias suas apud unam (nave imprimis onusta) inutiliter producturus, pronissima est ratio, cur tali saltim plurium ducendarum copia concedenda, licet iis denegetur, res angusta domi quibus est & curta supellex. Tantum igitur abest, ut hæc Polygamia Socialitati ullò modò repugnet, ut potius rectè instituta ad societatis humanæ incrementum multum conducere possit, undè etiam à plerisque populis olim frequentata, quod erudite probat Melch. Zeidler. *de Polygamia*, §. III. p. 32. seqq. Proferunt quidem, qui contrariæ sententiæ subscribunt, plurima speciè utique non plane nullam habentia, legenda ap. Arnizæum *de Jur. Connub.*, c. IV. Sect. 3. Titium l. c. p. 504. Urgent pri-

*mo*; Nullum legitimum Polygyniæ scopum doceri posse, cum monogamia conservando generi humano abundè sufficiat; sed suscipi istam ob solam libidinem, adeoque ex vicio intemperantiæ profluere. Enimvero probatione indiget, universale illud esse, quod omni tempore ex intemperantia polygamia profecta sit. Sane de Patribus V. T. Ambrosius *L. I. de Abraham. c. 4.* Augustinus *L. III. de doctrina Christiana, c. 12. L. XVI. de civit. Dei, c. 25. L. I. de Nuptiis & Concupiscent. c. 8. 9. contra Faustum. L. XXII. c. 47.* alique sentiunt, Patriarchas ex appetitu & desiderio propagandi genus humanum plures sibi uxores adjunxisse; quod evidens est exemplo Abrahami, ex consilio Uxoris eum in finem cum Hagare concumbentis *Gen. XVI, 2. seqq.* Imo tamen monogamia conservando generi humano sufficere queat: nihil tamen illud impedit, quò minus quis sibi præ aliis numerosam prolem ex pluribus uxoribus quærere possit. Instant *porro*, repugnare Polygamiam indoli tam arctæ conjunctionis; sed & illud prius probandum, indolem conjunctionis inter conjuges lege Naturali necessariò requirere, ut maritus nulli quam uni feminiæ corpus suum impertire teneatur; quod eo confidentius negandum est, quia ratio naturalis nequidem mutuam adiutorium & perpetuam cohabitationem inter conjuges simpliciter exigit. Objiciunt *ulterius*: polygamiam originem traxisse à Gentibus libidini deditis, aut quæ alias pravis moribus vixerint, ac penes quas Tyrannis libertatem & æquitatem naturalem nimis oppresserit. Verum neque lumine naturali sciri potest, undenam polygamia ortum sumpserit; neque sequitur: illud, quod à Gentibus libidini deditis originem

nem habet, tanquam Juri Naturæ adversum rejiciendum esse; neque de omnibus populis, quibus Polygamia usitata fuit, pronunciari potest, pravis ejusmodi moribus eas vixisse. Ajunt porro, contrariam illam esse æqualitati sexus, nullamque erectioris ingenii fœminam ea lege marito esse nupturam, ut uni soli servet fidem, si maritus plurium habeat licentiam. At verò illud dependet ex consuetudine & educatione; neque æqualitas hominum naturalis requirit, ut mutæ præstationes inter eos semper sint æquales: quo de Pufend. *L. I. c. 7, §. 12.* Deinde non obstant, quæ quidam proferunt de Zelotypia, de contentionibus & rixis inter conjuges, de odiis novercalibus in ipsa prole continuandis; illud saltem efficiunt, præferendum esse conjugium inter unum virum & unam fœminam Polygamix, ob emergentia quædam incommoda; non vero has ob causas polygamia illicita Jure Naturali pronuntiari potest, cum & ipsum matrimonium & secundæ nuptiæ suis incommodis domesticis non destituantur. Pufend. *L. c.* Incommoda illa polygamiam comitantia eleganter describit Wilhelmus Schickardus, *quam difficile, inquit, putabimus, marito præsertim fortuna tenuioris, tam sumtuosum alere gregem mulierum, ancillarum, liberorum! Quanam arte vel prudentia gubernabit tot Imperatrices, si non facile vel callidissimus regit unum tale varium & mutabile semper animal! An à litibus & querelis immunem fore credamus ipsum Socratem patientissimum? Quid aliud hinc lucremur nisi perpetuam inquietudinem & repudia quotidiana? Pœnæ, non beneficii loco haberem, si quem nostrum ulla lex ad Polygamiam cogeret. Et testantur, qui regiones illas (ubi Polygamia usu recepta) peragrarunt,*

Postellus atque Clenardus, omne tribunal divortii tantum  
 & restitutione dotis fatigari; proinde nil discere ꝑ  
 tot ipsorum nisi causas matrimoniales; contingere au-  
 tem non raro, ut orphani pereant miserabiliter, quorum pa-  
 trimonium in tot frustilla dissectum fuit, aut fratrum  
 fortior sepeliat, minores, ut solus hereditate saturetur.  
 Gratiâ ergo Salvatori nostro, qui ad primam institutio-  
 nem rem revocavit, & uni viri uxorem unam agglutinari  
 iussit. *Jur. Reg. Ebraeor. c. III. Theor. 9. pag. 181.* Non de  
 nihilo sunt hæc Schickardi; sed Polygamorum potius  
 quam polygamix vitia. Nam nec ubique locorum ea  
 deprehendi, neque sic comparata esse, ut à maritis pru-  
 dentibus & providis Legislatoribus non declinari possint,  
 ex sacris Literis & aliunde satis constat. Saltim Natura-  
 li Jure vetitam esse polygamiam inde probari minime  
 omnium potest, quod etiam ipsum non Patres solum Ec-  
 clesiæ antiquiores agnoverunt, Augustinus, *Lib. de Bono  
 conjugali c. 18.* Theodoretus. *qu. 66. in Genes. ex Schola-  
 sticis Thomas in IV. sentent. dist. 33.* Jo. Duns, Scotus, *in  
 ejusdem L. IV. d. Dist. & quamplurimi Theologi pariter  
 atque Jcti, allegati ap. Kulpif. Colleg. Grot. L. II. c. 5. ad  
 Thef. 6. lit. q. p. 46.* quibus addendi Guilielm. Grot. *prin-  
 cip. Jur. Nat. c. IX. & D. Simon, Not. ad h. l. B. Scherzer.  
 System. Theolog. loc. IX. §. 9. Fr. Ulr. Calixt. dissert. de  
 Conjug. & Divort. n. XI.* ut taceamus Grotium, Pu-  
 fendorfium & Thomasium.

§. II.

Non desunt tamen contrariam foventes opinionē, Po-  
 lygymiam uti non intrinsecè malam, ita nec jure divino  
 prohi-

prohibitam esse dicentes. Et adhuc quidem satis liquidè probatum, Polygamiam sic à DEO prohibitam, ut ad Christianos etiam eadem omninò se extendat prohibitio. De Thoma Cajetano refert Melchior Zeidler, cum stauisse, quod Jure Divino nunquam prohibita fuerit uxorum pluralitas, *Disquis. de Polygam. §. 38. p. 131.* Bernhardinum Ochinum constat, editis quibusdam *Dialogis* à Seb. Castellione ex Italico in Latinam Linguam versis, idem defendere ausum; cui Apostatae, Tiguro in exilium ejecto, & deinceps Ariano facto respondit Beza, *Tract. de Polygam. edit. Genev. 1587.* Recoxere hujus argumenta & excoluere magis Theophilus Aletheus, *discursu Politico de Polygamia*; Sincerus Warenbergius, *Epistola de eadem*, & Athanasius Vincentius, in *Polygamia triumphatrice*, notas in Theophilum complexa, quorum scriptorum unum eundemque volunt esse Autorem Joh. Lyserum, id quod de prioribus quidem dubium non habet, ad quæ Jo. Musæus, Brunsmannus, Dicmannus, Baltz. Menzerus, Frid. Gefenius, nomine Christiani Vigilis ac alii nonnulla repotuerunt. Successit his aliud *Opusculum Betrachtung des H. Ehestands/ und sonderlich von den vielen Weiber nehmen*/ Daphnæi Arcuarii, edit. 1679. cujus verus Autor, ut ex cognomine facile patet, ita ex aliis eruditis scriptis magna hodie in celebritate est. Novissimè etiam conatus est ostendere, Polygamiam divino Jure non prohiberi, Joach Hoppius, *Comment. ad Instit. de Nuptiis §. VI. p. 109.* tantum ut probet, Principem quoad pœnam hoc in delicto posse dispensare. Placet Polygamistarum rationes paucis hic exponere, nostramque

deinde sententiam subicere. Dicunt igitur (I) Institutionem primævam non habuisse vim Legis prohibentis pluralitatem uxorum; cui quoque opinioni accedit Gro-  
*tius Lib. II Cap. V. §. 9. n. 3. ubi dicit: ex prima illa conditi-  
 one, qua uni mari non nisi unam Deus attribuit, satis ad-  
 parere, quid optimum sit, Deoque gratissimum; & hinc  
 sequi, semper id fuisse egregium atque laudabile, non tamen  
 ut aliter facere nefas esset.* (II) In fontibus vocem *dua*  
 nequidem reperiri, & si utique extaret, per locutionem  
 illam: *Erunt duo in carne uga*, saltem arctissimum illud  
 vinculum, quo conjuges sibi invicem in conjugali socie-  
 tate adstricti esse debeant, innui: quæ arctissima societas  
 haud impediatur, si maritus pluribus confocietur uxori-  
 bus; cum qualibet enim uxore constituere unum illum  
 maritum societatem conjugalem, cumque ea fieri unam  
 carnem, ideoque tot esse matrimonia, quot uxores, cum  
 quibus contraxerit maritus. III.) Hancque ob causam,  
 quia nulla illis temporibus extabat lex prohibitiva, Patri-  
 archas aliosque sanctos viros Polygamiam licitè iniisse, de  
 quibus, cum ipsi à Spiritu Sancto illuminati fuerint, vi-  
 tamque suam secundum voluntatem Dei transegerint,  
 credi non possit: in tali ipsos vixisse ignorantia & peccato  
 sane inexcusabili, imprimis cum Deus voluntatem suam  
 ipsis ore tenus indicaverit. IV.) Ex dictis Scripturæ Sa-  
 cræ evinci, quod non solum Polygamia in Veteri Testa-  
 mento haud fuerit prohibita, sed certo quoque casu præ-  
 cepta; id quod constat ex dictis (\*) *Deut. XVII. v. 17.* ubi  
 Regi præscribitur, ne nimiam sibi uxorum copiam ad-  
 sciicat: Unde colligatur, Regi licuisse plures habere simul

in matri-

matrimonio uxores, (β) ex *Deut. XXI. v. 15.* ubi leges quædam de successione natorum ex Conjugio Polygamico præscribuntur, (γ) *Deut. XXV. v. 5. seqq.* ubi necessitas imponitur ducendi duas uxores, ad excitandum fratri sine liberis demortuo nomen, (δ) *Levit. XIX. v. 18.* ubi extat præceptum prohibens, ne quis sororem uxoris suæ ducat, invita illa, seu ad coangustandam eam (*Ihr zu wider*) unde colligatur, licere aliam uxori superinducere, modò illa non dissentiat: (ε) Ex *11. Sam. XII. v. 8.* ubi Deus tantum beneficium ingens prædicat, quod Davidi ipse uxores Saulis in sinum, *εις τὸν κόλπον*, id est, in matrimonium dederit. (ζ) ex *11. Paralipom. XXIV. v. 2. 3.* ubi Rex Joas omne, quod bonum est, fecisse dicitur coram Domino, cunctis diebus Jojadæ sacerdotis; Ast ipsum sacerdotem Regi duas desponsasse uxores. V.) Loca Scripturæ Sacræ *Matth. XIX. v. 5. & Marc. X. v. 8.* ubi Christus ad primam institutionem provocat, huic quoque asserto non obstare. Ita enim à Polygamie defensoribus explicantur: Interrogabatur Christus de divortio, cur illud non pro lubitu concederetur? sed revocabat Christus Phariseos ad primam institutionem, demonstrans, ideò conjunctos esse, non ut separentur, sed ut manéant una caro; igitur in istis locis de prohibitione Polygamie sermonem non esse, cum polygamus primam uxorem non rejiciat, & ita unitatem carnis dirimat, quod *mæchari* dicat Christus, sed eandem retineat, ei officia conjugalia præstet, & aliam saltem superinducat. VI.) Neque obstare verba Apostoli *1. Cor. VII. v. 4. vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier;* sed hæc tantum involvere, quod maritus uxori debitum conjugale denegare non possit, non etiam, quod alii corpus suum



pus suum impertire nequeat. Denique & VII) provocant ad exempla Polygamix concessæ, & non solum ex *1. Tim. III, 2. & Tit. I. v. 6.* (ubi in Episcopo peculiariter requiritur, ut sit unius uxoris maritus) colligunt, Apostolos in primitiva Ecclesia talia tolerasse conjugia; sed adducunt in primis exemplum Philippi Magnanimi, Hassiæ Landgravii, de quo memorat Thuanus *Lib. XLI.* ad annum Christi *MDLXVII. Tom. 2. p. m. 545.* Principem illum alioqui castum ex uxoris permisso, negotio cum pastoribus communicato, concubinam superinduxisse, illudque à Theologis Wittebergensibus fuisse adprobatum docent ex Hottledero, *de causis Belli Schmalcald. Tom. I. L. IV. c. 16. §. 32. c. 19. §. 35. c. 47. §. 73. c. 48. §. 24.* Vid. Hoppius *l. c. pag. 110.* Plura Polygamix Mæcenatum argumenta collegit Frid. Becmann. *Theol. Polemic. P. III. L. 6. sect. 2. & 3.* Nobis adducta tanquam potiora sufficiant, ad quæ ordine nunc nonnulla respondebimus. Ad (I.) igitur quod attinet, non quidem lex antiqua formaliter talis fuit ista monogamix in Paradiso institutio, vim tamen ea legis habuit, & ad imitationem perpetuam hominibus fuit proposita, quod probatur inde, quia Deus alias facile duas pluresve fœminas creare potuisset (quod quidem factum Rabbini incepte somniant. vid. Zeidler. *l. c. p. 44.*) & quod Adam tum quidem temporis de voluntate Dei certissimus id diserte professus est: *erunt, inquit, duo in carnem unam. Genes. II. v. 24.* quæ instinctu divino ipsum protulisse confirmat repetitio Christi, *Matth. XIX, 5.* Quare rectissimè Theodoretus: *unum virum & unam fœminam creavit Deus, ἐν αὐτῇ τῇ διαπλάσει τὸν πρὸς τὴ γαίμην ἕβμον τῆς οὐς, in ipsa creatione matrimonii legem statuens; ad C. VII.*

Epist.

*Epist. ad Rom.* Et consensere in hoc plerique Patrum, Theologorum, ac Doctorum cæterorum, quorum magno numero testimonia collegit Zeidler *l. c.* Confer quoque Musæum, *Dissert. de Polygam. contra Theophil. Aleth. Th. XIV.* Unde facile corrui Grotii & illorum, qui cum eo faciunt, opinio, utpote quæ etiam se ipsam conficit, tamen vim Legis Divinæ institutioni non tribueremus. Homines enim obstricti sunt, ut semper agant, dummodo in ipsorum viribus id est, quod DEO sciunt gratissimum; quapropter si quis intelligat, DEO esse acceptius, si uni saltem fœminæ se jungat, sane peccabit gravissimè eò ipso, dum plures sibi in societatem uxores adsciscit. Pergemus ad II. ubi quidem negari nequit, deesse in Ebræo Textu vocem *dualem*, scilicet *κατὰ τὸ ἑνὸν*; interim sufficit adesse *κατὰ τὴν ἀνάγκην*, id quod ex interpretatione Christi patet; unde etiam non septuaginta solum Interpp. & Vulgatus Latinus eam expresserunt, sed & Samaritanum Codicem, Syrum, & Arabem versionibus suis eam intulisse precepimus. In reliquis quot ferè sunt verba, tot etiam errores. Verum quidem est, Prædicatum hic rectè explicari, & per *unitatem carnis* arctissimum matrimonii vinculum intelligi; sed cum Deus duali subjecto id attribuat, verbis vim inferunt Polygamix Patroni, quando ad conjugium cum pluribus fœminis id extendunt. Falluntur & fallunt, si arctissimam societatem per admissionem plurimum fœminarum non impediri putant. Verus amor conjugalis additionem & multiplicationem, divisionem verò & subtractionem regulariter non admittit. Unum virum cum pluribus Uxoribus simul unitatem carnis

G  
consti-

constituere posse, adeoque per pluritatem uxorum ar-  
 ctissimum illud vinculum nullo modo impediri aperte  
 contradictorium est. Impingunt graviter, dum cum  
 qualibet è pluribus fœminis unum maritum societatem  
 conjugalem constituere volunt, *contubernium meretri-*  
*cium* dicere deberent, quia ὁ κολλώμενος τῇ πορνῇ ἐν σαρκὶ ἓστιν,  
 εἰ δύο εἰς σάρκα μίαν 1. Cor. VI, 16. Maritus si cum uxore  
 junctus est in carnem unam, non potest cum ea esse &  
 manere uno caro, & simul cum alia uxore jungi in unam  
 carnem. Quemadmodum enim duæ mulieres non una  
 caro, sed carnes diversæ sunt, ita vir, si cum hac fit una ca-  
 ro, à priori avellitur & separabitur carne, atque cum ea  
 una caro esse desinet; unde etiam adulterium justa di-  
 vortii causa constituitur, quia scilicet adulter cum adul-  
 tera in unam carnem coalescit, & hâc posteriori con-  
 junctione vinculum conjugale, quod inter ipsum & ejus  
 uxorem intercedebat, & de jure solvi nunquam debebat,  
 ipso facto violatur & rumpitur. Sicuti vero ( ut ad III.  
 deveniamus ) in Statu Integritatis, ubi homo &  
 lubentissime & absque omni ab ea recedendi desiderio  
 voluntati Divinæ obtemperabat, facillimo negotio obti-  
 neri potuisset, ut unus una contentus vixerit, neque du-  
 bium est, quin semper obtinuisset Monogamia, si homo  
 in ista conditione persistisset; ita post lapsum, & qui-  
 dem temporibus antediluvianis soli (quod quidē constat)  
 ex impiâ Caini progenie, *Gen. IV, 19.* à Divina institutio-  
 ne recesserunt; quod Deus toleravit, nunquam verò, cum  
 sine dubio solius libidinis impulsu factum, adprobasse re-  
 peritur. Postmodum verò & temporibus diluvium insecu-  
 tis

tis cum multiplicationem Generis inter præcipua gratiæ  
 suæ indicia retulerat Deus, & pluralitate prolis natiuitatē  
 Messiæ maturari crediderunt, ipsi etiam sanctissimi Viri,  
 suadentibus aut saltim consentientibus prioribus uxori-  
 bus ad *πολυγαμίαν* animum adplicuerunt: quod dum alii so-  
 lius etiam libidinis cæstro perciti imitati sunt, res demum  
 apud totum populum in consuetudinem abiit. Tole-  
 ravit & hoc mitissimus Deus, sed non unô modô, quem-  
 admodum permissio suos habet gradus. Nam ut re-  
 spectu libidinosorum ea non nisi *facti* fuit, solam impu-  
 nitatem in foro humano tribuens; ita quoad pios non  
 dubitamus eam *juris* pronunciare, & quidem cum hisce  
 effectibus, ut non tantum impunitatem simpliciter, eti-  
 am in foro divino, sed & adprobationem Dei, minus qui-  
 dem plenam, operata fuerit, quod jus in *sensu negante*  
 Grotius vocat *L. I. c. 1. §. 3.* Dicimus *minus plenam*, quia  
 si omnibus numeris illa fuisset absoluta, necessariô de  
 dispensatione expressè facta constare deberet, qua de ta-  
 men altum in Sacris Literis silentium. Dubium tamen non  
 est, potuisse Deum, si placuisset, ab observatione hujus  
 Legis Positivæ Universalis per modum dispensationis ali-  
 quos eximere, quia ista lex ex arbitrio ejus proflu-  
 ebat, neque cum ipsius sanctitate cohærebat, aut Jure  
 Naturali erat præcepta, & hoc modo ad paucos redactum  
 per diluvii undas hominum genus facilius potuerit re-  
 staurari. Jam facile ex his patet, quid Polygamix Ad-  
 vocatis ad argumentum à Polygamia Judæorum peti-  
 tum respondendum sit. Falsum est, ad monogamiã ex Dei in-  
 stitutione eos non fuisse obligatos, qnamvis apud ple-  
 rosque

rosque vim istius obligationis exolevisse negari non possit. Causas tolerantiae Deus habuit gravissimas; & necessitas jus fecit Polygamis, non lex; ea cum hodie cessent, cessat etiam divina sive tolerantia sive permissio; quod fusius & eruditè Zeidler *p.l.c. §. XXIX. seq.* Unde etiam dicta Scripturae, quae (IV.) à Promachis Polygynias adducuntur, nihil ad rhombum. Testantur de licentia, & eâ suppositâ, vel modum Judæis præscribunt, & licentiam coarctant, vel de liberorum ex tali conjugio genitorum hæreditatibus disponunt. Dictum *II. Sam. XII.* plane nihil ad Polygamiam facit, sed verior est sententia, per τὸν κὸλπον intelligi *potestatem*, in quam Deus dedit non uxores solum Saulis, sed univeram ejus domum; quamvis ea locutione aliàs thorum apud profanos Scriptores denotari non inficiemur. Ad loca *Deuter. XXV. & Levit. XIX.* respondebimus infra §. XIII. Exemplum denique Regis Joæ nihil juvat Polygamistas, cum omnia ejus facta prædicentur bona. *synecdochice* & intelligantur genera singulorum; vel ad bona facta ex hypothese illius temporis & status etiam Polygamia ipsius referatur. Quod ad (V.) attinet, manifesta παραρρησεις Locorum Matthæi & Marci est, quando Polygyniam iisdem à Salvatore interdici Defensores ejusdem negant. Nam licet Christo de divortio sermo sit, & ad eum occasionem præbuerit quæstio à Pharisæis de hac re proposita, attamen rationem, qua divortia illicita dicit, inde petit, quod, qui divertunt, dum denuò nuptias contrahunt, Polygami fiant, & sic in institutionem Dei primævam peccent, evadantque adulteri. Re-  
ctè

Et enim ita colligitur : si is, qui uxorem legitimam sine justa causa dimittit, & aliam sibi associat, adulterium committit, ex ea ratione, quia cum priore jam una caro factus fuerat; sequitur, quod etiam ille adulterium committat, qui priori legitimæ uxori, cum qua in unam carnem coaluerat, aliam superinducit; & ita per idem vinculum cum duabus uniri cupit. Frustra excipiunt, cum pluribus uxoribus unitatem carnis subsistere posse. Repugnat enim hoc non tantum exemplo Adami, unde genuinus phræcos hujus sensus petendus; sed & rationi, dum reverà id cum altero in unum suppositum non coalescit, quod & æque cum tertio, quarto aut pluribus communicatur. Quod denique (VI.) excipitur circa potestatem, quam *1. Cor. VII, 4.* Apostolus mulieri in corpus mariti tribuit, ac si illa se tantum extendat ad legitime exigendum à marito debitum conjugale, non ad prohibendum, quò minus & aliis maritus cohabitare possit; id à verbis & mente Apostoli quàm maximè alienum est. Prius quidem dicit, sed posterius non negat; quin potius disertè Polygamiam prohibet in proximè præcedentibus verbis: *Διὰ τὰς πορνείας ἕνας ὁ τὴν αὐτὴν γυναῖκα ἔχειν, ἢ διὰ τὴν ἰδίαν ἀρθεῖν ἕτερον, ἐπιτιμῶντα scortationis ergo quilibet vir habet propriam suam uxorem, & qualibet femina proprium suum maritum habet. v. 2. Conf. Ephs. V, 28. seqq.* Ad Exempla *Ultimo* adducta quod attinet, & quidem Pauli, quem Polygamiam primis Christiānis concessisse Polygamistæ putant, certè ex citatis locis, *1. Tim. III, 2. & Tit. I, 6.* hanc concessionem nunquam probabunt. Ut enim taceamus, plerosque Patrum dicta ista de Polygamia successivâ Episcopis interdicta accipere. Zeidler *l. c. §.*

*XLII. seq.* fanè non sequitur, illud, quod Episcopo prohibet Apostolus, aliis esse licitum. Vetat enim ibidem etiam, ne sit violentus, ne percussor, ne inhonestis negociis incumbat. At quis indè colligeret, E. cæteris Christianis in primitivâ Ecclesiâ hæc fuere permissa. Lutherus & alii Theologi, quod in Bigamia Philippi magnamini consenserint, graves habuere causas, de quibus vid. Seckendorf. *Historia Lutheranismi*, L. III. Sect. 21, §. 79. Addit. III. p. 280. Mullerus *Defens. Lutheri defensi*, c. VII. §. 1. *τελοποιος* enim dum fuit natus, & per hoc *inexhausti ad Venereos usus succi*, ut Thuanus *l. c.* loquitur; eo ipso etiam à communi lege Creator eundem exemisse videretur. Quod si igitur casus huic per omnia similis, & sub lege non comprehensus evenerit, eò Polygamiam concedi posse nulli dubitamus; sed quid indè pro suâ sententiâ obtinebunt Polygamix Patroni? Antequam ab hoc argumento discedamus, diluenda adhuc quædam sunt, quæ Hieron. Brücknerus, *l. c. c. XIII. §. 43. seqq.* ad evértenda argumenta Polygynix iniquitatem probantia accumulavit. Ac primò quidem, *Moses inquit, & Salvator noster de pluribus quam uno Conjugum pari loqui non potuerunt, in statu, quo non amplius quam unum Conjugum par in mundo esset.* Respondemus: manet tamen divina monogamix institutio, nobis ad imitandum proposita; potuisset Deus, nisi sic voluisset, Adæ duas & plures dare; & cum Protoplasti totum genus humanum repræsentaverint, exprimebat etiam eorum monogamia rationem, quâ omnia matrimonia ex DEI voluntate comparata esse debèrent. Ergò non potuere Adam & Moses loqui nisi de uno pari, non ideò tantum

tantum, quod non nisi unum par in statu illo esset, sed & quia nunquam nisi unum & solum par verum conjugium efficere debebat. Quando verò pergit Brücknerus: *cum sermo ille Legem & Regulam contineat omnium & singulorum matrimoniorum, eam etiam de omnibus & singulis, quæ Scriptura S. matrimoniorum nomine dignatur (qualia sunt matrimonia Bigamica & Polygamica simultanea Abrahami, Jacobi, Moysi &c.) veram esse oportet; nos id invertimus potius, & colligimus, quod, cum matrimonium Protoplastorum sit regula omnium cæterorum, ea non nisi de monogamia vera sit, cum monogamia cynosura Polygamix haudquaquam esse possit. Porro instat: Christi argumentum Matth. XIX, 8. ultra intentionem ejus de insolubilitate conjugii extendendum non est; alias enim sequeretur, plura quàm unum matrimonium simul in orbe non toleranda, reliqua omnia proscribenda, quia initio non fuit sic, ut plures, quàm duo essent in una carne.* Respondemus: licet Christus eò Matthæi loco directò de insolubilitate matrimoniorum loquatur, & verba: *initio non sic*, eò quoque respiciant, faciunt tamen etiam ad intentionem Creatoris declarandam, quâ non nisi unum uni sociari debere voluit, & semper tantum ad duas personas matrimonium restringit. Firma interim collectio est: quia *initio non fuit sic*, i. e. non fuit Polygamia; Ergò etiam hodiè nulla esse debet; quàm non infringet hæc inepta instantia: *initio non fuerunt plura matrimonia E. hodiè ea esse non debent.* Est enim horum longè dispar ratio. Polygamia quippè Divinæ voluntati adversa est; connubiorum verò pluralitas à DEO instituta; imò erant initio statim, utut non actu, potentiâ tamen plura hominum  
 conju-



conjugia. Similis farinae sunt, quae de S. Coena duodecim tantum maribus Ecclesiasticis praebenda nugatur, si prima institutio pro norma haberi debeat. Nam nemo facile simpliciter suum hoc fecerit : *Omnia & in omnibus sic esse debent, uti fuerunt initio divinae institutionis*; quatenus videlicet & circumstantias ex ipsa Dei instituentis intentione mutabiles simul includit. Absonum est, quando sic ratiocinatur : *ut Apostoli in Institutione S. Coena totam Ecclesiam N. T. praesentabant; ita Adam & Eva in prima conjugii institutione omnes omnino conjuges vel in Monogamia vel in Polygamiâ victuros representabant.* Primo enim minus accurate dicitur, quod Apostoli fuerint Ecclesia repraesentativa. Secundo contradictionem involvit, quod bigamia repraesentaverit polygamiam. Satis dum hoc ponit, id petit, quod est in principio. *Non repugnare polygamiam statui integritatis perperam dicitur, quia repugnat divinae institutioni.* Haec autem cum vera nobis ratio sit, non verò Polygyniam simultaneam ideò illicitam statuamus, quia Statui Integro repugnet, malè iterum inferitur: *Ergò Polygamia successiva etiam hodie damnanda est, quia nec hac in Statu Integro locum habere potuisset §. 51. Tot esse matrimonia, quot Vxoress de Jure Naturae admitti possent, sed de Jure Divino quaestio est, quam ex causis solidissimis supra negavimus.* Nec juvabit sic multum auctoritas Dn. Struvii, quem miramur ab Haereticum vexationibus adhuc tutum evasisse, dum non in Veteri, sed Novo demum Testamento Polygamiam prohibitam esse persuadere conatur. Conf. Thomaeum, *Not. ad Sirauch, p. 15.* Dixeres ergo de hisce nuptiis, quod Imperator

perator habet §. 12. *Inst. de Nupt.* quia eorum nominum, quæ dignitatis sunt l. 49. §. 4. *ff. de Legat. 3.* usus saltem est in justis Nuptiis, quales non habentur conjunctiones sine observatione Leguminitæ. *arg. l. 5. C. de LL.* Beza quod tam graviter accuset Brücknerus, justam causam habet omninò nullam. *Conjugii vinculum abruptum, quisquis factus est scortatricis (non scortationis) membrum,* ait Beza l. c. p. 568. Hæc nonne conveniunt cum dicto Christi, *Matth. XIX, 9.* Si enim justam divortii causam conjugii præbet alterius conjugii scortatio, sequitur, quod is, qui scortatricis membrum factus est, abruptum matrimonii vinculum. Tædet reliqua adducere, cum pleraque petant principium, aliqua plane non cohæreant, nonnulla etiam ex istis, quæ ad Polygamistarum argumenta attulimus, hic iterum locum invenire possint.

### §. III.

Progrediamur ad secundum LL. Divinarum Positiv. Universalium exemplum, quod est de *divortiiis vitandis*, cui legi utpote ex ipsa etiam Conjugii Institutione natæ meritò hic locum tribuimus. Est autem Divortium Conjugii legitime contracti, ac per copulam carnalem consummati, utroque conjugum superstite, plena solutio. Unde apparet, non de repudiis seu diremptione Sponsalium nobis sermonem esse, quæ, dum copula carnalis nondum intervenit, facilius & pluribus de causis dissolvi posse, quam matrimonium perfectum, dubio utique caret. Jure Naturali licita quidem pronunciamus divortia; existimandum tamen non est, ac si per hoc

H

uni-

unicuique Conjugum competat potestas; alteram eâ invita, & antequam nullum pacti matrimonialis caput violatum fuerit, pro lubitu matrimonio expellere. Nam societas conjugalis pacti rationem habet, quod, cum mutuo consensu ininitum sit, sine antecedente mutuo dissensu abrumpi non potest. Uti tamen hoc Jure contrahentibus matrimonium integrum est pacto matrimoniali ratione temporis conditiones adjicere, prout apud Schirazios, Persiæ populos receptum esse docet Petr. Della Valle, ut maritus ad certum tempus seu certos annos uxorem sumat, liberiq; sint legitimi; sed tempore finito deficiat contractus, vel denuo sit contrahendum, *Itiner. p. III. Ep. 17. p. 206. Conf. Pufendorf. l. VI. c. 1. §. 20.* Ita omnino hæc distinctio admittenda videtur: an certum tempus, quibusque societas conjugalis subsistere debeat, determinatum fuerit, an vero contrahentes se se obstrinxerint, quod per totum vitæ tempus in hac societate permanere velint; an denique nullum plane tempus huic pacto adjectum fuerit. Priori casu nulla videtur iustâ querendi causa conjugii relicta, si altera pars elapso tempore, quod pacto præstitutum fuit, à societate iterum recedat. Ad plura enim præstanda, quam ad quæ quis fidem adstrinxit, nemo tenetur: & tunc, si altera pars damnum inde sentiat, hoc sibi ipsi imputare debet, quia cum iniret pactum; sibi melius prospicere potuisset: Altero vero & tertio casu nulli contrahentium licitum erit, ut sine alterius consensu societatem abrumpat. Nam et si nullum tempus pacto additum, tamen ex tenerrimo isto, quo conjuges in hanc societatem cœunt, affectu arctissimâ, quam intendunt, conjunctione, & ex indole

le. hujus societatis præsumitur, quod perpetuam & immutabilem eam esse voluerint, præsertim cum & pacti natura requirat, ut ne quis ab eo, si nullum tempus adjectum fuerit, recedat, nisi ubi alter consenserit, aut ab ipso pacti capita violata fuerint. Neque puto, hanc rationem infringi posse, si quis dicat cum Dn. Thomasio, *Jurispr. divin. Lib. III. c. 2. §. 125. conjugem non recedere à pacto suo, sed recedere saltem à societate, ad quam perpetuò continuandam nunquam se obligaverit.* Nam conjux, dum à societate conjugali discedit, non potest non simul à pacto suo discedere, cum, ut dictum, societas nuptialis pacto innitatur, & Jure Nat: illicitum sit, à societate absque alterius consensu & sine ulla alia ratione, tantum ut meliorem sibi conditionem faciat, resilire. Quod enim LL. Romanis societas, sociorum alterutro renuntiante, solvitur, id singulare est, §. 4. *Inst. de Societat. l. 65. §. 3. ff. pro Socio.* in sociis, qui lucri tantum causa invicem bona sua communicant, undè ferè non nisi lites metuendæ, & harum abruptendarum causâ renuntiationis arbitrium concedendum fuit. *l. 77. §. 20. ff. de Legat. 2. Junct. l. fin. C. communi dividund.* Quod cum longè aliter se habeat in Societate conjugum, indè facile constat, eam renuntiandi libertatem ne quidem de Jure Naturæ iisdem relinqui, Quapropter tametsi una pars alteri se ad perpetuo continuandam societatem expressè non obstrinxerit, attamen illud tacite factum esse videtur, dum personæ contrahentes nullum tempus pacto suo adjecerunt. Neque defunt aliæ quoque rationes ad confirmandam hanc sententiam facientes, quas latius exponit Pufend, *Lib.*

*VI. c. 1. §. 20.* Nullum tamen dubium est, quin graves existere causæ possint, propter quas ductu Naturalis Juris conjuges invita altera parte societatem nuptialem abrumpere licitè possint, etiamsi sibi invicem mutuo fidem dederint, se ad vitæ usque finem in hac societate persistere velle; si scilicet una conjugum pars alteri debitum conjugale pertinaciter denegeret, aut illam malitiosè deserat, aut si alteri copiam corporis fecerit, quibus modis omnibus pacti conjugalis capita principalia violantur. Pufendorf. *l. c. §. 21. 22.* Thomaf. *d. l. §. 131. seqq.* Porro licebit vinculum conjugale abrumpere propter mores intolerabiles, ob nimiam sævitiam, ob inimicitias capitales, forte etiam ob infœcunditatem fœminæ. Nam etsi Pufendorffio *d. l. §. 21.* sola sterilitas alterius, qui aliàs ad copulam idoneus est, non videatur sufficere ad divortium, cum fœcunditatem præstare penes hominem non sit; attamen cum procreatio sobolis primarius hujus societatis sit finis, ubi forte maritus hunc maximè intenderit, tum illa ratio, quod apud sterilem nulla infœcunditatis suæ culpa resideat, nondum sufficiens videtur, quò minus divertere & obtinendi hujus finis gratia aliam sociam quærere liceat, ut rectè Dn. Thomaf. *d. l. §. 133. 134.* monet. Et hæc quidem ita sese habent, si, quantum ex lumine rectæ rationis nobis constat, de divortiis pronunciemus. Nam quod ad eorum sententiam attinet, qui existimant, pactum matrimoniale illo dictamine ne quidem mutuo dissensu dirimi posse, ideoque male divortiorum libertatem è Jure naturæ deduci, illam admitti non posse cum ex modo dictis patet, tum manifestius evader

evadet ex iis, quæ sequente Paragrapho proferemus. Hisce præmissis quid Leges Divinæ Positivæ Universales circa divortia disponant, nunc ostendendum. Operæ tamen pretium erit, ut, antequam hoc faciamus, paucis tantum recenseamus, quænam sententia Judæis quoad divortia fuerit, & quid usu apud eos obtinuerit. Matrimonium iis nihil aliud fuit quam contractus aliquis civilis, qui eò usque stabilis maneat, dum in eodem consensu utrinque perseveretur: ita ut tam uxori quam marito libertas relicta fuerit, pro lubitu, seu ut Romani loquebantur, *bonâ gratiâ*, l. 62. ff. de donat. inter vir. & ux. societatem hanc citra ullam omnino causam iterum distrahendâ. Nimirum matrimonii jus idem esse volebant, quod in jure Cæsareo est societatis cujuscunque, quæ sociorum alterutrò renuntiante solvitur. Deinde autem illud divortiorum jus renovatum Lege Sacra, *Deuteron. XXIV, 1. 2. 3. 4.* atque ita circumscriptum, ut non amplius uxoribus, sed solis maritis, certis tamen observatis requisitis, divortia permiffa. Conf. Josephum *Antiqu. L. XV. c. II.* secus ac apud Romanos, ubi Uxoribus à viris divortia ad eò fuerunt frequentia, ut *femina non Consuluum numero, sed maritorum annos suos computarint*, teste Seneca *L. III. de Benefic. c. 16.* vid. plur. Calixt. *dissert. de Conjug. & divort. §. XXII. Helmst. 1681.* Licitum tamen uxoribus apud Ebræos fuit, ob graves causas ritè in foro agere, quò mariti ipsas cum dote dimittant. Selden. *de jure N. & G. juxta discipl. Ebraor. Lib. V. c. 7. & de Vxore Hebr. Lib. III. c. 17. 18. 19. 22.* Ast de eò meritò dubitatur, an Ebræi, vi verborum Moyfis *d. l.* quamcunque ob causam, etiam sine consensu uxorum, eas li-

citè repudiare potuerint. Ut enim Christus Phariseos rectè reprehendit, & non *præcepta*, sed *permissa* tantum divortia Ebræis à Moyse docet, *Matth. XIX, 7. 8. conf. Marc. X, 3. 4.* ita neque putandum est, Moysen Judæis aliquid concessisse, quod nec Naturali Juri, nec voluntati divinæ primæ congruat, eam solam ob causam, quò duritiei cordium ipsorum indulgeat: quare potius credendum, permissionem hanc Mosaicam non nisi nudam tolerantiam & immunitatem à pœna in foro humano denotasse, vel sub certis conditionibus & requisitis accipi debuisse. Quid, quod verba Moysis non tam de divortio directo, quam de *βιβλίον ἀπορίας* seu libello repudii (cujus formulas exhibent Joh. Buxtorf. *Grammat. Chaldaic. & Syr. L. III. p. 434.* Wilh. Schickard. *Jur. Reg. Ebraor. c. III. Theorem. 9.*) disponere, & hæc potius ejus mens esse videatur; *Quod si utique ex malo vestro more, cui ob σκληροκαρδίαν indulgendum est, divortium facere constituitis, aliter tamen id fieri non debet, nisi datis Vxori literis divortii.* Ad quam sententiam confirmandam egregiè facit, quod Seldenus *d. l. Vxor. c. 20. seq.* observat, jam ante multa secula inter Judæos duas Sectas extitisse, unam Hillelianorum, quæ ob quamcunque displicentiam licere divortia credidit; Alteram Sammæanorum, docentem, non licere ab uxore divertere, nisi in ea deprehensa fuerit aliqua fœditas. Unde liquido constat, jam tum temporis magnam Ebræorum partem dubitasse, an ipsis competat libertas, pro lubitu uxores suas ejiciendi. Hillelianorum Sectæ addictos fuisse Phariseos patet ex loco Matthæi modò adducto; sed Christus pro Sammæanis pronun-  
 ciat,

siat, fas non esse, affirmans, ut temere societas conjugalis dissolvatur, & in institutionem DEI primævam peccetur. *Vid. Selden. l. c. c. 22. & Pufendorf. L. VI. Cap. I. §. 23.* Accedemus tandem ad originariam illam DEI institutionem, unde Legem Positivam Universalem eruendam esse omnino existimamus. Et optimum quidem fuerit, hic iterum Sacra Oracula consulere, ubi, *Genes. I. & II.* omnia, quæ primum Matrimonium circumstant, voluntatem DEI Creatoris arctissimè thori socios conglutinatos cupientis loquuntur, dum scilicet necessariz societatis gratiã eos creavit, ac suavissimum sociorum nomen indidit; unum ex alterius substantia produxit; ambos ad commune ac tale quidem, quod leparationem non patiebatur, generationis videlicet opus destinavit, ut taceamus alia, quæ vinculum hoc tam manifeste indicant, ut etiam præcepto ne quidem videatur fuisse opus. Et agnovit id omni sapientiã perfectè præditus, & voluntatis Divinæ præco verissimus Adam, dum ex causis modò memoratis firmissime concludit; *propterea deseret homo patrem & matrem, & adglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in unam carnem.* Variè quidem hæc verba explicantur, multaque argumenta ad vim eorum evertendam adferuntur, quæ omnia tamen facile corruunt, quando ad authenticam ipsius Salvatoris explicationem *Matth. XIX, 32. Marc. X, 4. seq. Luc. XVI, 18.* respicimus. Dum enim Christus ibidem inquit, *nam non sunt duo, sed uno Caro, & quod Deus copulavit, homo ne separet,* ad institutionem matrimonii primævam provocat, & istos duos à DEO in unâ carne eum in finem conglutinatos esse docet, ut amplius ab hominibus ausu



ausu temerario separari non debeant, neque sine peccato semetipsos separare possint. Eandem ex ore Magistri doctrinam repetit Apostolus *Ephes. V, 31. seqq.* ubi elegantem in hoc Tertio comparationem inter vinculum, quò conjux cum conjugē, & quò Christus cum Ecclesia copulatur, instituit. Unde jam nullum dubium superest, insolubilitatem matrimonii, etsi non expressis verbis, per consequentiam tamen necessariam in prima institutione Protoplastis, simulque cum ipsis, utpote qui totum genus humanum repræsentabant, omnibus conjugibus esse injnctam, illudque præceptum cum in Novo Fœdereâ Christo & Apostolo repetitum sit, merito inter Leges Positivas Divinas Universales referri, atque hanc ob causam etiam jam nunc omnes conjuges, nisi gravissimæ superveniant causæ divortium licitum facientes, obligare. Juvabit hanc sententiam non parum, si dictum Malach. II. 16. in sensu, quem Fontes præbere ab Amico Lingux S. solidè gnaro percepimus, sic exprimamus: *Nam ego odio habens sum rò repudiare, inquit Dominus Deus Israel; & violenta injuria operiens erit super vestimentum ejus (scilicet repudiantis) inquit Deus Zebaoth. Quare observabitis Spiritum vestrum, ac nequaquam perfide ageris.* Sed videant de hoc alii; nos obfirmat, quod cum hac expositione etiam Seb. Schmidii versio conveniat. De eo autem quæstio maxime ardua oborta est, an tantum *adulterium*, cuius solius sæpè adductis in verbis *Matth. XIX, 9.* mentionem fecisse Christum existimant multi, & *malitiosa desertio*, de qua Paulus *1. Cor. VII, 15.* iustæ divortii causæ existant, an verò hisce plures rectè statui possint? Innumeræ enim contentiones natæ circa explicationem verborum

borum Christi Matth. V, 32. ubi Salvator dicit; *peccare illum, & facere uxorem mœchari, qui eam dimittat* παρατὸς λόγῳ πορνείας i. e. *extra rationem s. causam fornicationis.* Alii putarunt, exceptionem istam pertinere ad solos Judæos: alii arbitrati sunt, non licere tantum divertere ab uxore ob adulterium, sed illud etiam præceptum esse: alii quæsierunt, utrum viva adultera maritus aliam ducere possit, necne? Tandem etiam de eo valde dubitatum fuit, an voce πορνείας solum delictum adulterii vel concubitus illiciti, an vero & alia delicta majora aut aliæ causæ similes & gravissimæ intelligi debeant, cum illud certum sit, quod vocabulo fornicationis tum Scriptura Sacra tum vulgò apud Hebræos alia quoque delicta denotentur. Thomaf. L. III. c. 1. §. 58 seqq. Conf. Selden. l. c. 1. seq. H. Grotium, Annot. ad Matth. V, 32. Brücknerum, C. XIII. n. 59. seqq. C. XVII. n. 18. Daph. Arcuar. Sect. L. c. c. 15. §. 7. 9. 10. 18. D. Nicolaus Hemmingius, cujus de divortii mentem vid. apud Dedeckennium, *Consil. p. III. p. 314.* Verba Christi ita explicat: “ Dixit Christus, quicumque dimiserit uxorem suam  
 “ παρατὸς λόγῳ πορνείας hoc est, *propter rationem adulterii,*  
 “ facit eam mœchari. Hic non πορνεία solum, sed λόγῳ πορνείας excipitur. Cum ergò λόγος significet rationem & proportionem, quid vetat, Christi verba sic interpretari: qui dimiserit uxorem suam, nisi ob causam, quæ eam rationem Criminis habet, ut scortationem æquet, & proportionem quandam, quod sceleris gravitatem attinet, cum scortatione habeat, is facit mœchari. Christum igitur non exclusivè adulterium seu scortationem ipsam divortii causam pronun-

“ciasse, sed Synecdochizæ locutum sub voce *πορνεία*,  
 “quæ idem significet, quod Ebraica *ervath tabbar*, *Deut.*  
 “*XXIV. 1.* plures graviore causas, & sub unâ certa specie  
 “genus innuisse, sub quo consimiles species, quod gravi-  
 “tatem sceleris attinet, contineantur. Indè factum pu-  
 “tat, ut & Paulus aliam & diversam planè, maliciosam  
 “scilicet infidelis desertionem ob delicti paritatē divor-  
 “tiorum licentiæ adjecerit; Imo huic causæ alias quo-  
 “que addi posse à Magistratibus Civilibus, uti id factum  
 “videamus à multis Imperatoribus Christianis, Theo-  
 “dosio Juniore & Valentiniano III. *l. 8. C. de Repud. Ju-*  
 “*stiniano, Nov. 22. c. 15. 16. Nov. 117. c. 8. 9. 10. Nov.*  
 “*140. præfat. & c. 1. Leone Nov. 111. 112.* (Conf. *Codic.*  
 Theodos. ubi extat Constantini Magni hanc in rem  
 Constitutio, L. XV. Tit. de Repud. in pr. ut non di-  
 camus de Græcis, quos non sola propter adulteria sed  
 plurimas alias ob causas & viris & fœminis divortia con-  
 cessisse patet ex Photio, *Nomocan. Tit. XIV. Balsamon.*  
 in Scholiis. Pet. Arcudio, *Concord. Eccles. Orient. & Oc-*  
*cid. L. VII. c. 18.*) quorum tamen tempore vixerint,  
 ipsisque partim à consiliis fuerint Athanasius, Chry-  
 sostomus, Didymus, Hilarius, S. Martinus, Basilius  
 M. Gregorius, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus,  
 Augustinus, Severus Sulpitius alique, vix id concessuri,  
 si unquam credidissent, ex duabus tantum causis divor-  
 tia licita esse. Hactenus Hemmingius, *Libello de matri-*  
*mon. Repud. & divort. edit. Lips. 1578.* cui ad hanc sen-  
 tentiam videtur ansam dedisse Augustinus, qui & ipse  
*L. 1. de Sermone Domini in monte, πορνεία* tropicè pro ido-  
 lolatria seu quovis flagitio fornicationi pari aut non  
 multum

multum inferiore accipit, quamvis in *Priore Retractionum* C. XIX. ipse dubius esse videatur, an hæc expositio locum habere queat. Vid. Calixt. *Diss. de Conjug. & divort.* §. XVII. & LIII. *seqq.* ubi non ab re monet, quod, si vocem *πορνείας* adeò latè ad idololatriam & alia quævis flagitia extendere velimus, causæ divortii contra mentem Christi facile in infinitum augeri possint. Est etiam sine dubio inanis subtilitas, quando verba *παρ-  
ουτὶς λόγῳ πορνείας* sic exponere vult Hemmingius, ut non solum *πορνεία*, sed *simul* omne delictum, quod *proportionem* cum illa habet, iis comprehendatur. Nam *λόγον* causam hic denotare, ordo vocû & sermonis totius ostendit, & si quando *λόγος* apud Græcos proportionem significat, nunquam in tali constructione, sed semper cum Præpositionibus *ἀνά, κατὰ*, v. gr. *ἀνά τὸν λόγον, κατὰ τὸν λόγον* & similibus reperitur. Testatur etiam de hoc sensu Christi alter Matthæi locus, ubi hæc verba sic exprimuntur, *εἰ μὴ ἦν ἡ πορνεία, nisi propter fornicationem*, c. XIX, 9. Cæterum sententiæ, quod pluribus de causis divortia hodie licita, Magnus Theologorum Protestantium numerus subscripsit, quos recensent Brückn. l. c. c. XVI. Calixtus l. c. §. L. XIX. & ipse Lutherus, in *Libello von Ehelichen leben* part. II. primam veri divortii causam statuit Impotentiam. Tom. II. *Altenb.* p. 213. *seqq.* & in *Explicatione* I. Cor. VII, 10. 11. part. II. Tom. II. *Altenb.* p. 395. causam divortii justam ponit, si maritus conjugem cogere velit à fide Christiana deficere, vel ad furtum, adulterium & aliud crimen perpetrandum; unde causas matrimoniales tanquam Politicas a foro Ecclesiastico ad Civile remittit, easque ex Le-  

I 2

gibus

gibus Civilibus decidi suadet. Vid. Bruckn. *d. l. Arcua-*  
*rius, Sect. I. c. 4. §. 9.* adduci tlocum ex *Luthero*, qui  
 forte hic adponi meretur, quò de ipsius sententia eò minus  
 dubitari queat, *Tom. VI. Wittenbergensi p. 171.* inquit :  
**Man findet wohl ein halstarrig Weib / daß seinen Kopff auff-**  
**setzt / und solte der Mann zehen mahl in unkeuschheit fallen /**  
**so fraget sie nicht darnach : hic ist es Zeit / daß der Mann sage :**  
**Wiltu nicht / so will eine andere / will die Frau nicht / so kom-**  
**me die Magd ; Will sie nicht / so laß sie von dir / und laß dir et-**  
**ne Ester geben / und die Vastl fahren / wie König Ahasverus**  
**thät ;** Quæ *Megalandri* liberius quidem dicta bonum ta-  
 men sensum habent, si absque cavillationibus & deprava-  
 tionibus Adversariorum accipiantur. Non enim jubet  
 maritum ad ancillam accedere, sed talibus comminatio-  
 nibus uxorem debitum conjugale pertinaciter negantem  
 terrere, & ubi ne sic quidem ad meliorem mentem ea re-  
 vocari possit, tandem de divortio agere, cum hæc officii  
 detrectatio justam utique divortii causam præbeat. Imò  
 etiam vulgò Theologi incorrigibilem & nimiam sævitiam  
 justam divortii causam pronunciant, quia ista sævitia æ-  
 quiparetur malitiøsæ desertioni. Vid. *Fridem. Bechmanni*  
*Theolog. Polem. L. XVI. Controv. 4. sect. 3. §. 1.* Et hæc  
 ratione alia delicta aliæque graviores causæ malitiøsæ de-  
 sertioni & adulterio quoque æquiparari possunt. Theo-  
 logis adstipulantur J<sup>C</sup>ti, nec numero nec autoritate infe-  
 riores, quos vid. ap. *Bruckner l. c. C. XVI. §. l. 1. seqq.* & iis  
 adde *Strauch. Instit. jur. publ. Tit. XXXV.* Præterea te-  
 statur praxis quotidiana Consistoriorum nostrorum, ho-  
 diè divortia permitti & decerni ob causas plures alias, quas  
 si quis omnes ad adulterium aut malitiøsam desertionem  
 referte

referre velit, illud certe nisi violenta detorsione fieri vix possit. Non ergo dubitandum censemus, cum Renne-  
 manno, *quin hodiè Magistratus pius ex gravibus causis pro  
 circumstantiarum suasionè divortia concedere possit & de-  
 beat. Jurisprud. Romano-German. Memb. I. disp. 42. in  
 Not. ad §. 36. sub Lit. d.* Si enim ad evitanda mala à Magi-  
 stratu Politico multa toleranda atque conscientis subdi-  
 torum relinquenda sunt, quæ justitiæ & perfectioni Chri-  
 stianæ haud ita exactè congruunt; multò magis  
 iis in rebus, ubi libertatis concessæ indicia extant  
 & inveniri possunt, conscientis hominum consulere de-  
 cet. Sed cum etiam in excessu hic facile peccari possit,  
 optandum maximopere, ut, quæ adhuc expectantur, cer-  
 tæ regulæ sint, secundum quas de exceptionibus istis Di-  
 vinæ Legis Positivæ Universalis judicium tutò ferri pos-  
 sit. Causas equidem, quæ sufficere possint ad dirimen-  
 dum matrimonium, multi multas recensent; Brucknerus  
*l. c. imprimis C. XVI. seqq. & apud eum nominati; Titius,  
 in Specimine Jur. Eccles. L. IV. c. 4. §. 17. 18. 19. 20. aliique*  
 Sed cum circa eas non eadem omnium sit sententià, neque  
 etiam exemplis, sed Legibus & certioribus principiis judi-  
 care deceat, nos paucis viam monstrabimus, quâ distin-  
 ctius paulò in hoc argumento procedi posse arbitramur.  
 Et (I) quidem à nemine in dubium vocatur, legem de vi-  
 tandis divortiis referri ad ipsos Protoplastos in statu inte-  
 gro viventes, (II) Hanc Legem, si perstitissent in eo sta-  
 tu homines, nullam habituram fuisse exceptionem, quia  
 mala ea omnia, unde hodie divortia fiunt, ab eo exulavis-  
 sent. (III) Post lapsum mansit quidem divina divortio-

rum prohibitio, sed ex ipsa Dei voluntate admittæ aliquæ exceptiones. Quia mutato statu mutantur jura, imprimis Positiva. (IV) Patet hoc ex doctrina Christi, dum *exceptionem adulterii* ipse admittit. Neque vero (V) verba Christi ita strictè sunt accipienda, prout jacent, quia aliàs sequeretur, quod scæminis divortia non sint permissa; item, quod matrimonia etiam vincula iniquitatis esse debeant, & illaqueandis hominum conscientis inservire. Intelligens (VI) hoc optime Apostolus etiam *exceptionem desertionis* superaddidit. *1. Cor. VII. 15.* (VII) Et Christus loquitur de casu, quò etiam privato ausu tum temporis licuerit literas repudii dare uxoribus; ergo Magistratibus non prohibitum, ex pluribus causis idoneis matrimonia dirimere. (VIII) Matrimonia quædam tantum putativè talia sunt, vel ipso jure divino nulla; quare cum planè non pertineant ad regulam, frustra dubitatur, an in iis locum habeat exceptio. (IX) Quoad effectum divortii perinde est, siue mala illa, unde ad divortia procedendum, initio matrimonii adfuerint, siue supervenerint, modò sint verè talia & insanabilia. Undè (X) inferimus *a)* Dari exceptiones à Lege de vitandis divortiiis quamplurimas. *b)* Ea posse hodiè à Christianis Magistratibus decerni, toties quoties aliàs matrimonia vincula iniquitatis evasura essent, aut conscientiæ hominum iis illaquearentur. *c)* De putativis & ipso jure Divino nullis nuptiis perperam dubitari, an rescindi vel irritæ reddi debeant, cum veræ in se nunquam fuerint, nec *ζυγαρία* illarum à DEO sit. *Matth. X, 19.*

Sed satis de Lege Div. Posit. Universali divortia prohibente, & vero ejusdem sensu. Videbimus quid alii de ea sentiant, sed brevissimis. Brücknerus, ne talem Legem concedere opus sit, ad Jus Naturæ refert, *omnesque homines eadem eatenus obligari dicit, ut Matrimonium contracturi illud non sub quibusvis pactis & conditionibus, sed cum intentione, voto & stipulatione perpetua cohabitationis contrahant. Intentionem enim pro lubitu discendi esse indicium vaga & inordinata ab ipso Jure Naturæ damnata libidinis, & repugnare amorij conjugali, qui omnem alium superare debeat. l. c. C. XIII. §. 12. 18.* Enimvero totum hoc assertum falsum esse probavimus in Paragrapho præcedente. Ratio prior admitti possit, sed de iis tantum, qui ex libidinis impulsu divertunt, adeoque particularis est, quamvis & hoc nondum satis probatum, an Juri Naturali repugnet, si quis extinguendarum libidinum remedia apud plures unâ uxores quærat. Saltem Brücknerus Polygamix quippe Patronus hoc affirmare non audebit. Hæc ipsa etiam obstant rationi ejus alteri, nam si amorij conjugali repugnat, discedere ab una conjugee ad aliam, sequitur, quod eidem etiam Polygamia repugnet, quia, quando Polygamus posterioris uxoris thorum conscendit, à priore tantisper discedit, & per consequens Polygamia ex hac ratione Juri Nat. adversaretur, quod Brücknerus concedere non potest. Neque quidem opus est, quia amor conjugalis per divortium imprimis bonâ utriusque partis gratiâ factum, naturali ratione tolli potest,



potest, nec sua natura necessario est perpetuus. Quæ porro subijcit: *divortia repugnare voto communes liberos procreandi & educandi, voto fidelis adjutorii & communicationi corporum mutue*, levicula sunt & responsione vix digna. Nam etiam per plures hæc omnia obtineri possunt, & si aliquando tam commodè id fieri nequeat, ideò tamen per hoc contra Jus Nat. non ageretur. Alias rationes, ut probet divortia Jure Nat. interdicta esse, adducit D. Titius; scilicet levitatem hanc esse, quæ Naturæ hominù sociali haud conveniat; præterea adulteriis locum facere; facile enim fieri posse, ut cum uxore dimissa & alii juncta antiquos vir repetat amores: Denique bonum aliquem finem isti divertendi licentiæ assignari non posse. *Observ. ad Pufendorf. Offic. 489.* Hæc etsi magis stringant, tamen sententiam nostram non infringunt. Certè enim inde sequeretur, si quis alii focii societatem, aut personæ contrahentes pactum suum mutuo dissensu dissolvunt, hanc etiam levitatem aliquam esse, & sociali hominis naturæ haud convenire, id quod tamen dici non potest; quamvis D. Titio consentiamus, ob leves vel nullas omninò causas etiam ex rationis dictamine conjugia non debere dissolvi. Alteram rationem invertimus, & existimamus, quod divortiorum prohibitio multò facilius adulteriis locum facere possit, quàm eorundem permisso. Nihil quippe frequentius est, quàm quod viri unius scæminæ tædio capti aliorum uxoribus inhient. Interim ab eo quod fieri potest, ad id quod fieri debet non licet argumentari. Ad finem denique quod attinet, non utique repugnat, causam etiam honestam utrinque conjuges ad divortium impellere posse; & si vel maximè eveniat

eveniāt, ut aliqui ex intentione non bona id faciant, abusus tamen ille facultatis jus ipsum tollere non potest. D. Autor. *Observationis Select.* (1.) *negat, leges Matrimoniales* (quò refert prohibitionem divortiorum) *Adamo aut Noacho publicatas, multò minus certam pœnam iis additam.* (2.) *Patriachas, ait, sponte à divortiis abstinuisse, quia perspexerint, melius esse, si observent, qua communiter ad leges nuptiales referuntur, quam si diversos mores sequerentur.* Divortia addit (3.) *plerumque libidinem indicare, si fiant eâ intentione, ut alia ducatur; aut imprudentiam, si ob mores pravos fiant, quod non satis circumspèctus quis fuerit infeligenda persona. d. obs. XXVI. T.V. §. 46. 48.* Respondemus ad (1.) Licet non legamus, expressâ sanctione Legem de divortiis vitandis Deum Protoplastis publicasse, sufficit tamen, quod de enixâ ejus voluntate ipsius ex ipsa institutione luculenter constiterit. Faciebat id summa eorum perfectio, ut nihil causæ fuerit DEO, circa singula negotia peculiare Legum tabulas componere, sed locum inveniebat illud tritissimum: quid verbis opus est, ubi rerum adsunt testimonia. Quare etiam non mirum, quod pœnam certam transgressoribus non dicitur, cum, illo imprimis in statu, sine his regulariter Jura dari potuerint, & transgressio hujus legis tum temporis nequidem metuenda fuerit. Hæc ipsa etiam (2.) vera fuit ratio, quod Patriarchæ aliique sancti viri fatis diu à divortiis abstinuerint, quia scilicet id ita Deum velle sciverunt, non quod, tanquã in re indifferente consilium capientes, sic rebus suis melius, quàm contraria ratione, consuli crediderint. Quæ (3.) de libidine

K

& im-

& imprudētia dicuntur, undeplerumque divortia procedant, quamvis non universalia & perpetua, sic tamē comparata sunt, ut ex iis adpareat, non tantum melius esse & utilius, si homines in perpetuo conjugio castius, & in eligenda thori socia cautius agere discant; sed & omnino necessarium fuisse, ut per Legem quandam Universalem defultoriæ huic Conjugum levitati obviam iretur. Stabit igitur hæc Divina lex semper firma, nec nisi in casibus exceptis vim suam amittet. Equidem Anastasius Imperator de eadem longe alia sentiens latâ A. CCCCXCVII. Constitutione, quæ in *Cod. Theodosiano L. III. Tit. 14.* extat, licentiam divertendi etiam ex solo mutuo consensu restaurare voluit; sed abrogavit eam Imperator Justinianus, *Novell. 117. c. 8. & 10. pr.* certasque non solum causas, ob quas licita repudia esse deberent, determinavit, sed & in transgressores graves pœnas statuit; & licet suecessor ejus, Justinus Junior, in *Novell. 140.* frena iterum laxavisse videatur, eaque de re communiter malè audiat, non tamen omnino simpliciter repudia arbitrio conjugum permisit, sed in eo tantum Justiniano fuit indulgentior, dum pœnas sustulit, & ipsorum Conjugum cognitioni causas divortii reliquit. Motum enim se fuisse maximè intuitu inimicitiarum capitalium patet inter alia ex iis, quando *belligeratum domi pugnatumque exposuisse* dissidentes & divortia quærentes ait in *pr. d. Novell.* Sublatum tamen & hoc iterum, & præcipuè Jure Pontificum, eò, quod *principium Conjugii non à contrahentibus, sed à DEO proficiscatur, & per legem contrahatur c. nullus 30. quest. 5.* Joach. Stephan. *ad d. Novell.*

Proferimus pedem ad LL. Divinarum Positivarum Universalium Tertiam *de abstinendo ab arbore scientiæ boni & mali*, Gen. II, 17. Legem eam fuisse proprie sic dictam probamus *à priori*, quia Deus Creator ut optimus, ita Maximus & Potentissimus hominibus à se creatis eam observandam injunxit, additâ clausula pœnali. Probamus item *à posteriori*, quia Protoplasti in eam impingendo prævaricati sunt. *Vbi verò non lex, ibi etiam non est prævaricatio*, Rom. IV, 15. Hinc rectè Tertullianus hanc *legem matricem omnium preceptorum* fuisse ostendit, *Libro advers. Judæos*, p. 133. *Concessis omnibus, qui in Paradiso erant, fructibus, ab uno tantum ligno abstinere jussit DEVS, ut scire possit Adam, quod sit sub Domino, cui obedire debeat & parere, si quid ille imperarit*, verba sunt Chrysostomi, *in cap. II. Genes. Homil. 15. & in c. III. Homil. 17. & levissimam eam legem* nominat Theodoretus, *Quæst. XXXVII in Genes.* Cum quibus consensere Patres reliqui, & Doctores Theologi atque JCI adhuc communiter. Non autem Naturalem eam Legem fuisse, sed *Positivam* inde manifestum evadit, quia 1) verbis negativis concepta, qualis nulla LL. Naturalium in isto statu integro, ceu solidè demonstrat in *Prefat. ad Offic. Pufendorffius*. 2.) Quia antè divinam prohibitionem fuisset indifferens, de arbore illa edere vel non edere; nec nocere poterat per se arbor illa, quia omnis Creatura tum temporis bona, & Protoplastis nihil omninò nocivum, quippe quem effectum in rebus creatis produxit demum homi-

num inobedientia. Relinquitur ergò, quod Lex illa Divina fuerit Positiva. Sed quæritur, an etiam *Vniversalis*? Ita omnino putamus sequentibus moti rationibus, quia, (1) ut DEUS cum Protoplastis totum Genus humanum referentibus simul omnibus hominibus dedit jus in omnia, sic quoque exceptio ad omnes pertinere debuit. (2) Ut prævaricatio & pœna se extendit ad omnes omninò homines, ita etiam legis seu interdicti vis ad omnes, non ad Protoplastos solos spectat. (3) Sicuti, ex Theologorum sententia, Deus hanc arborem aræ velut locò selegerat, in qua obedientiam suam homines sacrificarent; vel ut esset Symbolum reverentiæ, obedientiæ & amoris erga Deum; Vid. Chemnit. *Diss. de Arbore Scientia Bon. & Mal. recus. Jen. 1683. §. 14. seqq.* ita, si perstitissent in isto Statu homines, necessariò quoque ad omnes istius obligatio pertinuisset. Non possumus, quin in hanc rem adducamus verba Fr. Suarezii. *Sunt, inquit, qui censeant, Præceptum illud datum primis hominibus non fuisse propriam legem, & de se perpetuam, sed quasi personale mandatum, solis primis parentibus pro suis personis, non pro tota posteritate datum, etiam si in statu innocentia perseverarent. Sed hoc ego non probo, imò censeo, illam fuisse veram legem, ac de se perpetuam, tum quia eadem ratio erat in filiis, qua in parentibus, ut Legem aliquam Positivam à DEO semper haberent; tum etiam, quia illud præceptum fuit respectu Adæ non tantum personale, sed etiam ut ita dicam capitale; loquebatur enim Deus cum eo, ut capite, ac subinde cum totâ ejus posteritate, ut ostendunt sequentia verba: in quocunque die comederis, ex eò morte morieris, Ibi enim toti posteritati mortem comminatus est. De Legib. L. IX. c. 1. §. 5.*

§. VI.

§. VI.

Audiemus nunc etiam, quid in contrarium à nonnullis circa hanc Legem proferri soleat. Arborem objectum ejus fuisse negat planè profanus homo Ad. Beverland, & ut spurcissimi ingenii monumentum conderet, in Libello de Peccato Originali *nat. & xxiv sic nuncupato* in eo totus est, ut ostendat, allegoriam perpetuam in dicto Geneleos loco contineri; *per arborem scientia boni & mali eam Ada partem, quâ viri sumus, in meditullio mixtionis positam intelligi, quâ cum suâ serpenti & verborum DEL negligens fœmina impudicè delectata, libidinisquæ oestro percita ad concubitum Adamum pellexerit, inde factum, ut Deum ambo tam graviter offenderint, hocque esse peccatum Originale nat. & xxiv tale. p. 20. seqq.* Retulit tanto invento digna præmia, scilicet multorum annorum exilium, postquam satis diti in vinculis causam frustra dixerat, in quæ Batavi hoc modo luserunt:

*Hier leidden Heer van Beverland,  
Gewangen door en hoger Hand,  
Om dat he onse beste Moer  
Gemackt heeft tot een voule Hoer.*

Non merentur inania hæc commenta, luculentissimæ narrationi Sacræ vim manifestam inferentia, responsionem, maximè cum & ipsum Autorem antè obitum ea valdè detestatum fuisse compertum habeamus. Cæterum, uti quidem concedi fortè possit, ex illicito illo esu quam maximè libidine & lascivia infectos fuisse primos homines, non tamen est, ut *pro originali peccato carnis luxuriam habeamus, eamque primum mortem causatam fuisse*

fuisse, & Adamum feminam potius ad patranda[m] suam sc-  
ditarem ad arbusta deduxisse, quàm ob tegmen pudoris, qui  
flosculi sunt Joh. Baptistæ von Helmont. *Ortu Medicin.*  
*p. 655. n. 49.* Brücknerus *l. c.* ut legem hanc è numero  
Positivarum totum genus humanum obligantem elimi-  
naret, sequentia profert. *Primò* ait, eam hodiè ne-  
minem obligare, sed spectare ad statum integritatis.  
*Deindè*, pertinuisse ad Spirituale regnum DEI in hâc ter-  
râ. *Tandem* Arborem statui à Theologis Sacramen-  
tum, perindè ut Circumcisio & Agnus Paschalis; quare  
certò asseri non posse, an, stante etiam illo Statu, illa lex  
totum genus humanum obligatura fuisset. *Proem. n.*  
*44.* Respondemus: ad (I.) & (II.) legem dici Univer-  
salem *vel simpliciter*, quatenus ratione objecti & temp-  
oris talis est; *vel secundum quid*, quatenus omnes homi-  
nes, licet non omni tempore obligat. Posito igitur,  
quod præsens hoc præceptum in priori acceptione tale  
non fuerit, sufficit tamen, si universale extiterit in sensu  
posteriore, quod nemo negabit. *Conf. supra Sect. I. §. 8.*  
*p. 23. circa fin.* Arbor an Sacramentum rectè dicatur,  
dijudicandum linquimus Dnn. Theologis; nobis id sal-  
tim dubium, quod Sacramentum omne consistat in  
actione, hæc verò lex non nisi meram abstinentiam &  
intermissionem in culcet. Ad (III.) nescimus, a) an illa  
distinctio Regni DEI in Spirituale & Naturale commodè  
ad Statum Integritatis applicari possit. b) Hoc etiam  
posito, certè tamen dici non potest, quod abstinere ab esu  
certæ rei pertinuerit ad Regnum DEI Spirituale. Obe-  
dientia, quam in Protoplastis experiri & probare per hoc  
præceptum Deus voluit, quodammodo eò referri possit,  
non

non verò præceptum ipsum, quum alias hodiè omnes leges ex voluntate DEI observandæ ad Regnum DEI Spiritualepertinere deberent. Dn. Autor *Observationis*, cujus aliquoties mentionem fecimus, his utitur rationibus, ut Legem eamque Universalem nèget, quia Deus (I.) non ut Tyrannus vel despota egerit cum Protoplastis, rem indifferentem ex merâ arbitrii libidine prohibendo, per consequens non Legem tulerit; (II.) ut Pater monitum tantum dederit de abstinendo à fructu serpenti alias destinato, & propter intrinsecam suam qualitatem homini necessario noxio futuro. Unde (III.) concludit, illam Legem de non comedendo de arbore veritâ esse merè Naturalem, cujus rationem æquè intellexerit Adamus, ac rationem de non occidendo. *d. Obs. Select. XXVII. §. 38.* Liceat jam adversus hæc dubia nostra nonnulla expromere. Et quidem nolumus ea, quæ B. Lntherus cuidam, non Legem, sed tantum admonitionem hanc esse urgenti respondit, ex ejus *Comment. in c. II. Genes.* repetere; sed quoad (I.) non putamus, DEUM, tametsi etiam circa indifferentia aliquid severè prohibeat, & per modum Legis edicat, per hoc evadere Tyrannum vel saltim despota, quia Jus DEI in homines (quod eminentissimum utique est) ad modulum nostræ rationis exigere non possumus, quin potius ab omni imperfectione, quâ definitiones talium prædicatorum in hominibus laborant, dum DEO tribuuntur, liberari debent. Marcion, Theodoro teste, *Quest. in Genesim 37.* non veritus est Deo velut exprobrare, quod *panculam ob escam præ multâ iracundiâ Adamum & ejus posteros pœnâ mortis affecerit*, indeque Legem hanc iniquitatis



tatis accensavit: Sed pessimè, dum de Justitia DEI sibi  
 judicium arrogavit, & pœnæ divinæ falsam causam  
 assignavit. Paucula illa esca non fuit causa sed occasio.  
 Non ob escam cecidere Paradisi incolæ, sed quia ve-  
 scendo Legem DEI Creatoris severissimam transgressi  
 sunt, & escâ illa vetitâ toti generi humano simul perni-  
 ciam attraxerunt. Quare hæc movere non debent,  
 quò minus Deum pro verò Legislatore, & præcep-  
 tum pro lege habere queamus. Non repugnare quoad  
 (II.) ut Deus idem Rex sit & Pater, Leges ferat & moneat,  
 diversis respectibus, supra jam ostendimus, *sect. I. §.*  
*10. circa fin. p. 36.* Potior tamen hic consideratio Regiæ  
 autoritatis est, quia Pater, quâ talis, ejusmodi pœnis  
 monita non munit, nec ita rigorosè exequitur. Ar-  
 borem serpenti destinatam, qualitates habuisse ho-  
 mini in se noxæ futurus & malum illud, in quod incidere  
 necessario allaturas, dicitur non probatur. Quid  
 opus fuisset serpentis gratiâ arborem hanc in medio  
 horti constituere? *Gen. II, 9.* Tam nociva in se si fuisset,  
 quomodo DEUS visis omnibus, finito creationis pensò,  
 dicere potuisset, *quod omnia sint egregiè bona? Gen. I, 31.*  
 Quin si etiam eas vires, quas Celeberrimus Autor, secu-  
 tus forte Rabbinos, tribuit, Lignum habuerit, ea tamen  
 mala inde nullo modo provenire potuissent. Hinc po-  
 tius invertimus: Quia mala, quæ escam insegura sunt,  
 non necessariò esca illa produxit, sequitur, quod non sint  
 hoc respectu necessaria, sed potius arbitraria & aliunde  
 profecta. Undè verò, quæsumus, aliàs quàm à DEO nunc  
 non Patre, sed Legislatore? Non possumus, quin in hanc

rem

rem adducamus nonnulla Augustini Tornielli. *Arbor*, inquit, *Scientia boni & mali non videtur diversa fuisse ab aliis, sed una ex ipsis. Quandoquidem Adami interitus, qui ex illius esu consecutus est, non fuit effectus naturalis dictæ arboris, seu fructus ejus, qui in se noxii nihil habebat; sed inobedientia.* *Annal. Saer. ad A. 1620.* His ita se habentibus (III) planè non assequimur, quomodo prohibitio hæc arboris ad Legem Naturæ referri possit, cum objectum ejus (scilicet edere de fructu arboris, & non edere) fuerit res indifferens, non æquè occidere vel non occidere hominem.

§. VII.

Ordo nos nunc ad Quartam Legum Divinarum Positivarum Universalium vocat, quæ est, *de colendo Sabbato.* Ut de mente nostrâ clarius constet, omnium primò observari velimus, Sabbati vocem in genere notare diem aliquam divino cultui destinatam, post sex alios dies per circulum redeuntem, non habita ratione termini, à quo ista periodus numeranda sit; Deinde in specie apud Judæos Sabbatum illam septimam post sex dies elapsos in ordine redeuntem significat, quam vigore mandati divini & Legis Cæremonialis Judæi ferri tenebantur, factò initio numerationis à mundi creatione. Hoc *determinatum* appellare liceat, quia Deus præcisè septimo eò (qui Saturni nobis hodiè audit) in memoriam partim absolute Creationis, partim recuperatæ per educationem ex Ægypto eodè die factam libertatis Sabbatum Judaicū constituit; illud verò *indeterminatum*, quando nimirum quæ-

L

vis

vis septima post elapsum sextiduum vi Legis Divinæ ad cultum DEO peculiarem & externum exhibendum destinatur. Vid. D. Jo. Kahler *Dissert. de Moralitate Sabbathi Christiani*, Rinthel. 1704. hab. §. 2. Quando igitur quæstio est, an de Sabbato colendo Legem aliquam Positivam Universalem DEUS dederit, non possumus non, quin eam affirmemus, sed observato eo, de quo diximus, discrimine, dum restrictio illa & determinatio apud Judæos rationem cæremoniæ & specialis causæ habuit, ad eos solos pertinentis, non æquè ad alios. Neque hoc adeo mirum videri poterit, si cogitemus, ipsam rem aliquam pluribus generaliter præcipi, rei vero modum peculiarem certis quibusdam subjectis præscribi, adeoque, ut entia moralia ab impositione dependent, certum formale superaddi posse. Ipsa igitur septimæ in quavis hebdomate diei ad cultum DEI destinatio objectum hujus Legis facit, quam mutatô tantum ex libertate Christianâ eo, quod cæremoniale vel singulare apud Judæos fuit, adhuc sanctè observare nostri officii esse reputamus. Neque verò hoc offendere debet, quod Christiani à termino numerandi, quem Sacra pagina primùm ostendit, recesserunt. Nam licet septidua à creatione computanda primis terræ incolis aliquamdiu cognita & dubio procul justâ seriè observata fuerint; tamen sequioribus seculis, ubi propter Chronologiæ & Fæstorum incertitudinem tempus & initium conditi orbis caligine obductum, non potuit non fieri, quin confusio ista Ecclesiasticas etiam Ebræorum ephemerides infecerit, & hoc modo primi & genuini Sabbatorum termini fuerint moti. Ut taceamus,

mus,

mus, non potuisse propter rationes Physicas uno eodem-  
 que die ubique locorum Sabbata celebrari. Juvat his  
 lucem affundere ex laudata D. Kahleri, Theologi Rin-  
 thelenfis Dissertatione. „ Licet, inquit is, concedamus,  
 „ Judæis injunctam fuisse sanctificationem dici, qui in or-  
 „ dinariâ dierum enumeratione septimus erat, negamus  
 „ tamen, DEUM alligasse cultum suum τῆ φῆσι σαββάτου,  
 „ & quod præciso temporis puncto determinetur. Im-  
 „ possibile enim est, ut vel Judæi, vel alii quicumque Di-  
 „ vinum illud Sabbathum vel primas illas XXIV. horas,  
 „ quibus DEUS à Creatione verè quievit, vel Manna de-  
 „ pluere desit, eodem temporis puncto vel inchoare vel  
 „ finire potuerint. Præterquam enim quod adhucdum  
 „ incertum sit, in quo puncto vel mundi plagâ sol primum  
 „ lucere cœperit, & à quò puncto primus dies numeran-  
 „ dus sit, cum ne in annis quidem computandis Chrono-  
 „ logi conveniant; illud certum est, non posse idem tem-  
 „ pus iisdem terminis circumscriptum in universo terra-  
 „ rum orbe observari, ob longitudinis & latitudinis di-  
 „ versitatem. Dum enim Orientalibus sol citius oritur  
 „ quàm Occidentalibus, necessariò fiet, ut, dum Judæi  
 „ in Oriente habitantes primò mane surgunt, Sabbathum  
 „ feriaturi; illi, qui in Occidente habitant, mediam ha-  
 „ beant noctem, vel integro etiam die ab Orientalibus di-  
 „ stent. Dum etiam propter Solstitia impossibile est,  
 „ quin semper minuta quædam remaneant, certum est,  
 „ ea in diem tandem excrescere; cui si post plures annorum  
 „ periodos iterum dies accedat, jam turbatus est pristinus  
 „ ordo, & non amplius potest numerari septimus à Crea-

„tione dies, sicut cuiusvis, qui Mathematica Principia de-  
 „libavit, facile patet. Conf. Wagenfeil. *Confus. Carmin.  
 Lipmanniani*, p. 565. *seqq.* „ Hæc eum in finem monenda  
 duximus, ut inde appareat, ipsum etiam Judaicum Sab-  
 batum non semper primum, quem DEUS posuerat, ter-  
 minum retinuisse, nec retinere potuisse, atque adeò ex  
 opinione magis quàm rei veritate fuisse determinatum.  
 Undè porrò constat & certissimum evadit, Deum in in-  
 stituendo Sabbato non tam immobilitatem primi à creato  
 mundo septidui & harmoniam temporum spectasse,  
 quam illud principaliter, ut post singulos sex operarios  
 ad imitationem Sabbati Paradisiaci primi homines septi-  
 mo die sacræ quieti & cultui ejus vacarent. Hoc igitur  
 dum Christiani, quò & in hoc à Judæis se separarent, die  
 Dominicâ, quâ Christus resurrexit, facere decreverunt,  
 nihil commissum est, quod divinæ institutioni adversum  
 videri possit. Hisce præmissis, primum nunc erit, ar-  
 duâ in hac de Sabbato causâ certi quid definire, Legem-  
 que Divinæ Positionis Universalem eb oculos ponere.  
*Legis* igitur rationem habere divinam institutionem  
 patet ex collatione locorum Sacræ Scripturæ non uno-  
 rum, nec non ex iis, quæ diversis cum ante, tum post  
 diluvium temporibus de Sabbato Deus disposuit. Ini-  
 tio statim mundi post finitum Creationis opus legimus  
 Deum diei Septimæ *benedixisse*, & peculiarem gratiam  
 omnibus eam celebraturis promississe; eandem *sanctificaf-  
 se*, hoc est, (ut Interpretes in fontibus extantem voculæ  
 vim expriment) *ad cultum Sacrum separavisse*, ac tan-  
 dem *cessando ab omni opere suo exemplo homines ad requi-  
 em* ab ordinariis laboribus *invitavisse*. *Gen. II, 3.* Un-  
 de firma satis collectio: quia uni ex septem primæ heb-  
 domadis

domadis diebus præ cæteris Deus singulariter benedixit, eam ad cultum Sacrum à reliquis separavit, inque eâ ab omni opere desistendo hominibus suo exemplo prævit, quod Deus serió voluerit, ut homines id observent, & adeò hæc ipsa prima DEI institutio Legis efficaciam habere debuerit. Dubio procul etiam pii tam antequam post diluvium ei morem gesserunt, donec in Ægypto, ubi nulla Sacrorum copia ipsi facta, sic ejus Legis oblitio populum invasit, ut in itinere per desertum deus de eâ ipsum monere necesse habuerit Moyses, *Exod. XVI, 23.* Sed cum & hæc admonitio Doctoris Ductorisque fidissimi apud duræ cervicis gentem vix locum inveniret, tandem Deus eam non quidem tanquam novam, sed ut renovatam, quod inter alia per vocem *memento!* exprimitur *v. 8.* Decalogi Tabulis inseruit, & simul cum cæteris sollemnissimè publicari fecit. *Exod. XXII, 8.* An autem per hoc, quod Decalogo comprehensa, ad Naturales Leges, referenda sit, si quærat, non nisi inficiando respondere possumus, saltem ubi naturam, prout hodiè ea se habet, spectemus. Tametsi enim admittendum sit, quod per naturam de cultu Divino tam interno quam externo aliquo constet; vid. *Dissert. de Jure, quod DEO debetur §. VI.* pertinet tamen Lex de Sabbato, quoad præcisè circumstantiam temporis involvit, ad ritus, circa quos ratio humana indifferenter se habet, & eò lumine planè nulla necessitas septimum quemque hebdomadis diem DEO dicandi apparet. Conf. *Dn. Thom. Instit. Jurispr. div. L. II. c. 1. §. seqq. & in Append. p. 372.* nec non *Introduet. Germ. ad Ethic. c. III. §. 37.* Habebimus ergo &

hanc Legem pro *Positivâ*, id quod præterea ratio ejus ubique addita indicat, Sabbatum scilicet ideò celebrandum esse, quia die septima Deus quieverit, & ab opere cæterorum sex dierum destiterit, *Gen. II, 2. & Exod. XX, 11.* quam humana ratio cum ignoret, ad Naturalia præceptum referri nequitiam potest. Lex ergo est, & quidem Positiva; sed an etiam *Vniversalis*, sic ut Christianos hodienu ex Dei voluntate in Paradiso declarata obliget? Hæsitant hic multi, ut mox videbimus; sed ex caulis, quantum nos judicare valemus, non sat idoneis. Affirmativam igitur ut tueamur, sequentia movent. *Primò* quia hæc DEI voluntas, pro Lege valens, Protoplastis universum genus humanum referentibus, manifestata fuit. *Secundò* quia ratio alligati, velut ad septimum diem Sabbati universalis est, & ad nos æque spectat, ac ad Judæos. Hi jubebantur septimam diem colere, ideò quia Deus in eâ quieverat; Tantundem momenti & hoc apud nos habere debet, ut in venerationem Sabbati istius Divini nos septimâ quaque die Sabbatum celebremus. Quid DEUM moverit, qui tamen nullo unquam opere delassari potest, & nunquam à suâ sanctitate deflectit, ut hanc rationem pro impulsiva celebrandi Sabbati proposuerit, res est altioris indaginis, nec à nobis curiosè rimanda. Locum habet in his illud, nisi fallimur, Scaligeri:

*Nescire velle, qua Magister Optimus  
Docere non vult, erudita inscitia est.*

Sufficit, quod Deus hoc dixerit, & hoc sui exemplum non primis hominibus, non Judæis tantum, sed omnibus, quibus eadem obsequii necessitas incumbit, quos  
eadem

eadem veneratio institutorum tenet, imitandum exhiberit. Cæteræ etiam rationes, quod segregaverit Deus septimum diem, quod singularis gratiæ promissionem eidem addiderit, cum tempore N. Fœderis nullibi sublata reperiantur, quippeni & hæ nobis sat validæ esse possent, ad enixam Dei voluntatem de hac die colenda agnoscendam? Necessitatem Legis hujus probè agnoscentes in Novo Testamento Christiani id quidem, quod Cæremoniã habuit, ex libertate per Christum parta mutaverunt, in locum ultimi ex septem diebus primum eligentes, sed rem ipsam, id est Sabbatum retinuerunt, quod idem *μία τῶν ἑβδομάτων*, seu *prima dierum novæ periodi Sabbatica* 1. Cor. XVI, 2. aliàs etiam *ἡμέρα κυριακῆ* seu *dies Dominica* Apol. I, 10. audit. Ad ipsum Christum, an ad Apostolos, an verò demum ad Imperatores Christianos hæc mutatio & Diei Dominicæ pro ultimæ feriæ Sabbato receptio referenda sit, nunc non disquiremus quidem latius; mediata tamen sententia optima videtur, probanda videlicet ex *Coloss. II, 16. Act. XV, 20. Act. XX, 7. 1. Cor. XVI, 2.* ex quibus locis manifestum evadit, quod à Judaici Sabbati observantia Christianos Apostoli abolverint, eaque *ἡ μία τῶν ἑβδομάτων* peragi voluerint, quæ antea diei Sabbati destinata erant, præconium verbi, Sacramentorum administrationem, eleemosynarumque collectionem ac distributionem. Unde sic colligit Hottingerus: *Qui Sabbatum abrogarunt, diem contra solis operibus Sabbati celebrari voluerunt, illi mutationis hujus jure censentur Autores.* Atqui Apostoli &c. Ergo. *Primitiis Heidelbergens. Dissert. V. de Sabbatismo, c. II. p. 322.* Ab Apostolis id institutum etiam ratione illius, quara



quam diximus, diei Dominicæ per tot secula ad nos di-  
 manavit, & ratione quidem optima servatur, cum quod  
 hac ipsa die Dominus noster à mortuis resurrexit, cujus  
 nobis omninò tam Sancta debet esse memoria, quam Ju-  
 dæis quondam recordatio egressus ex servitute Ægyptia-  
 ca; tum quod gravibus de causis *αμετάθετος ἢ ἀμετακίνητος*  
*τῶν Ἀποστόλων παράδοσις* hæc merito habetur, quò de pluri-  
 bus Hottingerus *l. c. n. IV. p. 328.* De cætero amba-  
 bus concedimus, Judaicum inter & Christianum Sabbat-  
 tum longè maximum discrimen adhuc intercedere, quod  
 se potissimum in hisce exerit, dum (I.) tempus Sabbati Ju-  
 daici necessitatis fuit atque præcepti; nostri verò liber-  
 tatis & arbitrii. (II.) Rigor in colendo Sabbato à Judæis  
 exigebatur maximus. Non enim præcepta tantum de  
 Sabbato in Sacris literis proposita, sed & Sabbatismum,  
 i. e. statuta de Sabbato colendo Magistrorum (quæ in  
 compendio exhibet Hottinger. *l. c. n. V. p. 330. seqq.*)  
 strictissimè observare tenebantur. Ab hisce nos planè  
 sumus immunes, ab illis etiam in quamplurimis ad  
 Gentem Judaicam peculiariter spectantibus; dum nobis  
 fatis est, si cultui Divino publicè privatimque vacemus,  
 nihilque eorum negotiorum, per quæ ab ista sancta re-  
 quie vel mentes vel corpora nostra avocentur, quæque  
 ad operarios dies pertinent (necessitatis tamen casu ex-  
 cepto) suscipiamus. Quâ in re ad pias Ecclesiarum no-  
 strarum ordinationes respicere decet. Extat etiam,  
 egregia Lex Imperatorum Leonis & Anthemii in no-  
 stro Codice, scilicet 12. *de Feriis*, peculiari Commenta-  
 rio dignissima, in quâ, inter alia etiam *ferarum lachry-  
 mosa spectacula* die Dominica disertè prohibentur, Prin-  
 cipi-

cipibus iis, qui venationibus adeò indulgent, ut ne Sab-  
 bato quidem ab iis se continere queant, probè, si qua alia,  
 inculcanda. Differunt denique (III) gravitate pœ-  
 næ. Sabbati enim profanatio apud Judæos morte ex-  
 pianda, *Num. XV, 32. seqq.* Sed libertatis Christianæ  
 privilegium non fere hunc imitationis rigorem, maximè  
 cum leges pœnales ferè ad Regimen Judæorum Politi-  
 cum pertinuerint, cum quo & ipsæ hæc desierunt. At-  
 que ita satis, nisi fallimur, & solidè demonstratum est,  
 Legem de colendo Sabbato suò modò Universalem  
 esse, non ad solos Judæos simpliciter spectavisse. Vi-  
 detur hæc ipsa persuasio (undecunque eam hauserint) et-  
 iam plures Gentes occupasse, dum nulla ferè, etiam inter  
 maximè barbaras reperitur, quæ non certum aliquem heb-  
 domadis cujusvis diem cultui divino destinaverit, quod  
 per exempla docere nunc nimis longum foret. Addu-  
 cemus tantùm hac vice testimonia Philonis & Josephi,  
 quorum ille *ἑορτὴ γάρ ἑ μιᾶς πόλεως ἢ χώρας ἔστιν, αἰτὰ δ' ἔ παν-  
 τὸς, ἢν κυρίως ἄξιον ἢ μόνην πάνδημον ὀνομάζουσιν ἢ ἔ κόσμου γενέσιον;*  
*est enim festus (loquitur de die Sabbati) non unius populi*  
*regionisque, sed in universum omnium, qua sola digna est,*  
*ut dicatur popularis festivitas, & mundi naturalis. De*  
*Opific. mundi.* Et τις γὰρ τὴν ἑρῶν ἑκάστην ἑβδομὴν ἐκ ἐκτιμήκεν,  
*ἄριστον ποίωσιν ἢ βασίωσιν, αὐτῶ τε ἢ τοῖς πλησιάζουσιν ἢ ἐλευθερίοις μόνον,*  
*αἰτὰ δ' ἢ δούλοισι μᾶλλον ἢ ὑποζυγίοις διδῶς;* *Quis sacrum illum diem*  
*per singulas hebdomadas recurrentem non honorat, remissi-*  
*onem laborum feriasque afferentem Patrifamilias cum do-*  
*mesticis, non ingenuis tantum, verum etiam mancipiis &*  
*jumentis? De vit. Moysis, L. II.* Hic verò ὑδ' ἔστιν, ait,

M

i πλ.

ἡ πόλις Ἐλθίων ἔδησιον, οὐδὲ Βάρβαρον, οὐδὲ ἐν ἔθνος, ἐνθα μὴ τὸ τῆς  
 ἔθνομᾶδ ἦν ἀργούμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθρον οὐ διαπεφοίτηκεν, *neque est*  
*civitas Gracorum ulla usquam, aut Barbarorum, nec ulla*  
*Gens, ad quam septimanae, in qua vacamus, consuetudo mi-*  
*nimè pervenerit.* Contr. Appion. L. II.

## §. IIX.

Hæc quamvis ita omninò sese habeant, non tamen  
 defuere, qui alia omnia sentientes nec ante Legem Mo-  
 saicam de Sabbato colendo constituisse, nec ad alios præ-  
 ter solos Judæos Legem istam pertinuisse, adeoque nos  
 hodiè nulla Divina jussione ad Diem Dominicam obser-  
 vandam obstringi existimant, & id rationibus plurimis per-  
 suadere conantur, quas nunc etiam ad examen breviter  
 vocabimus. Quamvis autem plures sint, & nostrâ ætate  
 dentur, qui ita statuunt, agmen tamen facilè  
 ducunt Franciscus Gomarus, Belga, Tract. *de Origine Sab-*  
*bati C. IV.* & Joh. Spencerus, Anglus, *de LL. Ebræorum ri-*  
*tualibus, L. I. 4. Sect. 7. seqq.* quorum vestigia cæteri ferè  
 legunt, omnes secuti Veteres Ebræorum magistratos, de  
 quibus legi meretur Selden. *Jur. Nat. & Gent. Ebr. L. III.*  
*c. 9. 10.* Argumenta, quibus pugnant, præcipua sunt hæc.  
*Primò* inquit, Sabbatum non initiò mundi conditi &  
 in ipso Paradiso Deum instituisse, sed observationem ejus  
 demum in deserto per Moysen injunxisse, *Exod. XV, 25.*  
*XVI, 23. Nehem. IX, 14. Ezech. XX, 10. seqq.* Si epim ad Paradisi  
 statum reteras, hæc sequi absurda, a) quod ad certum ri-  
 tum & tempus cultus hominum integrorum adstrictus fu-  
 erit, qui tamen ubique potius & semper DEUM cele-

brave-

braverint. b) quod isti homines integri requie indiguerint quorum tamen corpora labore non potuerint defatigari. Quare (II) institutionem Sabbati in Sacris disertè ad illa tempora referri, quibus Jſraelitæ in deserto septimum diem festum habere, & à Mannæ collectione abstinere iussifunt *Exod. XVI, 23. &c.* & multis ex circumstantiis colligi, quod primum tum temporis Sabbatum celebratum fuerit. Pertinuisse igitur (III) Sabbatum ad solos Judæos, & apud eos *Signi* usum habuisse, non solum *α) ex parte DEI instituentis*, qui per id propensam suam voluntatem in Israelitas præ cæteris Gentibus declaraverit; *Exod. XXXI, 13. seqq. Nehem. IX, 14. Ezech. XX, 12*; Sed *β) ex parte sui ipsius*, aptum quippè & accommodatum ad creationem notandam, *Exod. XX, 2.* quam tum temporis pleræque Gentium negaverint, de mundi æternitate perperam persuasæ; nec non ad exitū ex Ægypto, qui Sabbati diluculo contigerit, in memoriã revocandū *Deut. V, 15.* ac tandem *γ) ex parte Populi*, scilicet, ut per Sabbati observationem tanquam peculiare quoddam *γνώρισμα* à populis Paganis & idololatris *Ezech. XX, 20.* distinguerentur. Constat illud (IV) luculentissimè etiam ex eo, dum omnibus ferè in locis Scripturæ Sacræ Sabbatum ad solos Judæos & eorum progeniem restringatur, *Exod. XVI, 29. XXXI, 13. 14. 16. 17. Nehem. IX, 14. Ezech. XX, 11. 12.* Inde inferunt (V) falsum esse, quod ratio Sabbati instituti moralis sit ac universalis, in eò consistens, ut Sacra requie exemplum DEI imitemur; dum potius merè cæremonialis ea fuerit, & hunc in finem à DEO Sabbatum præceptum, ut solâ cessatione ab operis, & ocio corporali, non

gionis exercitio creationem mundi Judæi profiterentur, & per hoc signum à profanis Gentibus dignoscerentur. Addunt (VI) nunquam legi punitos fuisse Judæos ob non celebratum Sabbatum, quod aliàs sine dubio factum, si ante Mosis tempora istius observandi incubuisset obligatio. Alii (VII) volunt, Sabbatum Paradisiacum habuisse sensum mysticum & figuram Sabbatismi istius magni, de quò Apostolus *Ebr. IV, 4. 8. 9. 10.* Inde esse nativitatem velut istius Sanctimoniz, quam habeat vulgò numerus septenarius, ad quam non Deus solum ipse subinde in Sacris Literis respexerit, sed de quâ sapientiores Gentilium tanto perè fuerint persuasi. Urgent (IIX) quod, si Lege DEI Positiva Universali initio orbis præceptum fuerit Sabbatum, ab Apostolis terminus moveri nullò modò potuerit. Item (IX) Christum non potuisse dare libertatem quidquam circa Sabbatum immutandi, qui tamen expressè affirmavit, se esse *κύριον τοῦ σαββάτου Matth. XII, 8.* Conf. *Joh. V, 17. & ibid. Gloss. Lutheri.* Et Apostolum non potuisse suadere Christianis, ut nē curent censuras hominum; *si qui eos in parte Sabbatorum judicare velint, cum hoc fuerit non nisi umbra futurorum, Coloss. II, 16. 17.* Conf. *Rom. XIX, 15. Gal. IV, 9. seqq.* Denique (X) adducunt ex libris Ecclesiæ nostræ Symbolicis loca nonnulla, quibus sententiam suam firmari persuadere cupiunt; imprimis provocant ad *Artic. XXVII.* seu *de Abusibus VII. Aug. Confess. & Cateches. Lutheri Major. de III. Præcepto* quæ cum superiore anno jam vindicaverit laudatus supra Theologus Rinthelensis, in *Dissert. de moralitate Sabbati Christiani, §. XVI, seqq.* actum agere nolentes tan-

tum

tum, quoad cætera novem argumenta quæ nobis monenda videantur, proferemus. Quando igitur (I) dicunt, demum in statione Israëlitarum in Mara institutum fuisse Sabbatum, id non tantum apertè falsum est, per ea, quæ in præcedentibus demonstravimus, sed & facilis est responsio ad locum, *Exod. XV, 25. seqq.* Scilicet, si utique inter statuta ista etiam fuerit mentio facta Præcepti de Sabbato, eam tamen fuisse nudam repetitionem istius, cujus in servitute Ægyptiacâ saltim rudiores Judæorum cœperat oblivio. Non ergo instituit hic Sabbatum Deus, sed restauravit, & cum ne sic quidem satis morigeros Israelitæ se gererent, *cap. seq. com. 27.* tandem DEUS, juxta cum reliquis Legis Capitibus & hanc solenissimè publicavit. Nihil aliud volunt loca adducta reliqua; imò si verba captare velimus, sequeretur ex Nehemiæ narratione, non nisi tum demum, cum Decalogum promulgavit DEUS, Sabbati legem natales suos accepisse, *com. 13. 14.* quod tamen & ipsi Dissidentibus non concedunt, & *Exodi Cap. XVI.* adversatur. Nihil ergo absurdi inde oritur, si vel ad Integritatis statum præceptum de Sabbato referamus; celebrassent utique homines Deum quotidie, nec tamen repugnat, quin DEO stans temporibus peculiari ratione cultum præstare potuerint, modò non talem concipiamus, qualis hodiè in diebus Dominicis à nobis exsolvitur. Non fuissent delassati, nil tamen obstat, quo minus potuerint etiam ab ordinariis negociis, qualia tunc erant, non qualia hodiè sunt, desistere. Ipse DEUS quievisse dicitur, nec tamen delassatur. Ergò separemus ab istis, quæ ad nostrum statum comparata absurda videntur, & cer-

tè omnis absurditatis metus faciliè evanescet: Corruit ex his etiam, quod (II) locò prolatum fuit, & nulla est circumstantia, quæ de prima institutione Sabbati magis, quàm de restauratione persuadere possit: Quoad (III) esto, signi rationem habuisse Sabbatum apud Judæos. Quid inde? Num quid non plures unius rei possunt esse causæ? Potest aliquid ex certo tempore accipere qualitatem signi, quod tamen multò antè in rerum naturâ exstitit, quemadmodum & de iride legimus *Gen. IX, 13.* diu ante productâ quam signi indolem ipsi Deus attribuit. Aliud exemplum extat *1. Chron. XV, 15.* in conquasationibus arborum, quæ eadem ratione etiam, antequam significaret victoriam Davidis, multoties contigerat. Hinc etiam prona est responsio ad (IV) Restrigitur Sabbatum ad Judæos & eorum progeniem, non simpliciter, sed qua signum est, & quidem signum liberationis à servitute & educationis ex Ægypto, ceu luculentissimè patet imprimis ex *Nehem. IX, 14.* & *Ezech. XX, 12.* Inde verò non sequitur: quia DEUS Sabbatum, quâ *μνησθουσαν* educationis ex Ægypto esse debet, singulariter Israëlitis inculcavit; Ergò alio respectu vi primæ institutionis ad id observandum Christiani non tenentur. Ad (V) si ratio moralis Dissidentibus eadem est ac *Naturalis*, admittimus, Sabbatum tali non niti, quam quidem nonnullorum esse sententiam constat ex Hottingero, *l. c. c. l. §. 5. p. 300. sqq.* Natura enim & ratio sibi relicta ignorant, divino cultui necessariò per hebdomada certum eumque septimum diem esse consecrandum. Quod si verò per rationem moralem intelligatur, uti decet, *positiva* aliqua causa (vid. *Seef.*

I. §. 8.

1. §. 8. p. 19. 20.) quam Deus institutioni ipse adjecit, & unde Sabbati cultum ex ejus intentione perpetuum esse debere liquidò apparet, negamus & pernegamus talem hic non inveniri. Sabbathum DEUS ordinavit, ut ad ejus exemplum Sacrae requiei indulgeamus, contemplationi rerum creaturarum vacemus, indequè in laudes Creatoris provehamur. Sabbathum idcirco à reliquis diebus separavit, idque præ cæteris singularis gratiæ promissione quasi dotavit. Omnia hæc momenta talia sunt, quæ æque nos ac Judæos tangunt ac trahere debent, nihilquæ in iis ad cæremonias pertinet, nisi sola circumstantia temporis, quam universaliter imperare posse DEUM quis, quæsumus, inficiabitur? Perperam verò, & ut hypothesi ferviat, Spencerus tradit, non cultus divini, sed ocis tantum corporalis gratiæ, & ut per hoc signum ab Ethnicis discernentur, Sabbathum Judæos coluisse, quippe cui adferro & Sacrae literæ & doctrinæ Rabbiorum, imò perpetua, hodierna etiam Sabbatorum Judaicorum praxis reclamant. Sexta (VI) ratio admodum ficulnea est, negativa quippè & à silentio Scripturæ ducta, quales in rebus facti non procedere notissimum est. Tametsi verò ponamus, non punivisse DEUM, quis indè firmiter concluderet, quod ideò Judæi non fuerint obligati, & quod non peccaverint? Multa in hoc populo DEUS toleravit non puniendo, quæ propter obligationem pœnas utique fuerant merita. Et forte ideò iisdem pepercit, quod, dum in Ægypto usum Sacrorum non habuere, legis de Sabbato colendo oblitæ ignorantiam culpæ quodammodo prætexere potuerunt. Quæ (VII) proferuntur cum sint altioris indaginis, censuræ



furæ Dnn. Theologorum relinquimus. Nobis saltim ista  
 figura & mysterium non obstant, sed subvenire, potius  
 videntur. Pia sanè est ista meditatio, & auget religionem  
 cultus Sabbatici, si & nostrum Sabbatum ut figuram &  
 mysticum signum futuri Sabbatismi magni intueamur.  
 Demus & illud, quod persuasio de numeri Septenari san-  
 ctitate à primo Sabbato ortum traxerit, indeque ea  
 Sapientiores Gentilium pervaserit, quò de elegantia legi  
 possunt apud Marshamum, *Canon. Chron. Sec. IX. p. m. 194.*  
 (quamvis & hic quoad originem & scopum Sabbati cum  
 Dissidentibus faciat) & Fr. Georgium Venetum, *prom-  
 tuar. rerum Theolog. & Philosoph. Cantic. 1. Ton. 6. c. 16. &  
 Tom. 8. c. 27. edit. Lutet. 1564.* Demus, inquam, hoc,  
 non tamen apparet, quid indè obligationi de Sabba-  
 to septima die celebrando decedere possit; Quin & auge-  
 re id potest tanquam ratio aliqua secundaria veneratio-  
 nem istius diei, dum non de nihilo esse respectum ad hunc  
 numerum facile persuademur, licet nos causam ejus &  
 vim intrinsecam peruestigare, aut à priori eam demon-  
 strare haud queamus. (IIX) Octavum Dissidentium  
 telum aërem ferit. Non enim dicimus, quod Lege Divi-  
 nâ Positivâ Universali ad determinatum Sabbatumq; eum  
 diem, qui, initio computationis à primo mundi con-  
 diti hexaëmero factò, septimus sit, perpetuo adstringa-  
 mur, quippè quod impossibile fuisse suprâ jam ostendi-  
 mus; sed quod Sabbatum septiduo quovis, quoad institu-  
 tionem primam tamen indeterminato & libero observa-  
 ri debuerit. Id cum retinuerint Apostoli, contra divi-  
 nam institutionem nullo modo peccaverunt, quibus uti-  
 que

non fuisset integrum, nisi propter graves causas Dies Dominica placuisset, vel secunda vel tertiâ vel quâvis alia feria Sabbatum Christianum celebrandum constituere. Denique ad IX.) quoque non est difficilis responsio. Christus non sustulit Sabbatum quoad substantiam, sed docuit, quis debeat genuinus istius instituti in N. T. esse sensus & usus, quæ, excusso Judaico jugo, Christianorum libertas adeoque quoad aliquas tantum circumstantias mutationem paratam ostendit. Et quis Christo hoc denegaverit, DEO omnipotenti, *Sabbati Domino*, cujus utique fuisset, si voluisset, Legem Positivam omninò tollere. Verba Lutheri hoc modò accepta sanum habent sensum, nec inde elici potest, quod Dissidentes volunt. Deus enim Pater benignissimus non desinit in die Sabbati miseris succurrere, nec voluit unquam, ut determinatum Sabbatum Judaicum tempore Novi Fæderis observaretur. Quare rectè Christus, se, non obstante Sabbato Judaico, operari æque ac Patrem; & rectè Lutherus: *Mein Vater hält den (Jüdischen) Sabbath nicht (nemlich mit Un-terlassung derer nöthigen Liebesund ErbarmungsWerke) das- rum halte ich ihn auch (nemlich solcher gestalt) nicht/ sondern würdte ihm dar/wie mein Vater.* Non majoris ponderis sunt reliquæ, ad quæ Dissidentes provocant, quorum in ple- risque fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpli- citer committi satis evidens est. Apostolus quidem mon- net, Judaicum Sabbatum fuisse umbram futurorum, & quodeos curare non debeant Christiani, qui *ἐν μέρει τῶν σαββάτων*, i. e. propter certam rem vel circumstantiam Sabbati, quoad tempus vel simile quid ipsos damnare &

N

ju-

judicare velint. Sed Sabbatum planè & plenè per hæc tolli, vel Christianorum libertati simpliciter relinqui certè ex Apostoli verbis non evincitur. Cætera dicta ne quidem de Sabbato loqui videntur, cum res sit cum conversis è Gentilismo, qui diebus antea idolis sacris vero DEO statum cultum præstandum esse contenderunt; vel si utique de Sabbato sermo fuerit, contentio indè nata, quod ad fidem è Judæis adducti Sabbato Judaico adhuc adsueti cæteris Christianis idem etiam tempus obtrudere voluerunt, quemadmodum notum est, quod satis diu in Ecclesia primitivâ ex præjudicio antiquitatis juxta cum die Dominica Sabbatum quoque vetus celebratum, & qui id fecerunt, timidiore & inconstantis animi homines *Mas-Budaios* dicti fuerint, *Walzus Opp. T. I. de Sabbato*, ap. *Hottinger l. c. c. 1. §. 7. p. 308.* unde probabitur vox Germanorum, *Masfoten* qua istiusmodi homines ingenii inconstantis adhuc hodiè per contemptû appellari sueverunt, quam ab alio etymo obscæno, unde vulgus derivat. Sed de Quæstione verè Sabbaticâ hæc quoque hac vice sufficient,

§. IX.

Vidimus hætenus Leges Div. Positivas Universales primis hominum in ipso felicitatis primæ statum latas; nunc ordo Sacrarum Literarum ad eas ducit, quæ mutarâ illa conditione, mortalibus post primæ gratiæ jacturam in eam, quâ hodiè constituti sumus, miseriam præcipitatis publicatæ fuerunt. En igitur mulieri primæ viventium matri, sed infelicissimæ, inter alias pœnas durissimas hæc etiam à Deo justo iudice lex  
lata

lata fuit : *Ad virum desiderium tuum* (scilicet attemperatum esto, sic ut nihil desiderare debeas, nisi quod marito visum) & *dominabitur tibi*, Gen. III, 16. quibus in verbis *imperium maritale* liquido fundatur, foeminae, imò toti foeminarum ordini, ut diximus, in poenam, & marito in solatium aliquod pro perditis ex mulieris, fructum vetitæ arboris esse dissimulantis, invitatione tot egregiis bonis. Nam licet aliqui priora textus verba sic accipere velint, ac si de appetitu conjunctionis ad procreationem liberorum loquantur; meritò tamen à Vatablo & Fullero hæc expositio rejicitur, cum is appetitus utrisque communis sit, & nihil vel ad virilem eminentiam, vel ad muliebrem submissionem faciat. Nec satisfaciunt, quibus placet versio Septuagintavitalis, *περὶ τὸν ἀνδρα οὗ ἡ ἀποστολή σου, ad maritum tuum erit conversio tua* i. e. *receptus, seu refugium, praesertim in periculis, in ipsius tutela latebis, ejus fidem, consilium, auxilium implorabis.* Vid. Matth. Polum, *Synops. Critic. ad h. l. p. 43.* Est enim hæc expositio intentioni Divinae è diametro adversa, dum non in solamen aliquod Evæ, vel ut beneficio aliquo eam maclaret, ista pronunciavit, sed ut iram suam & indignationem ipsi nunciaret, hocque ac aliis modis inobedientiam ejusdem puniret. Ne quem verò offendat, cur in reliquis, quæ eodem loco ab irato Deo pronunciantur, v. gr. *de partu uxorum difficili & de comedendo pane in sudore nasi* vel vultus, cur inquam, & in his Legem Divinam positivam Universalem non statuamus, observandum probè est, quod prius vel eâ de causâ ad Leges referri

N 2

non

non possit, quia *partum cum dolore edere* actio hoc rerum statu naturæ necessaria est, quales sunt v. gr. circulatio sanguinis, concoctio in ventriculo, levatio alvi, & similes; ad objecta Legum, quia arbitrio nostro non subjacent, nequaquam referendæ. Eodem modo serres habet cum molestiis viro in labore & victu quærendo devorandis, quæ ipsæ etiam hodiè quidē necessariæ & universales sunt, sed qua rationem pœnæ, habent, non qua rationem Legis. Leges enim præcipiunt faciendæ vel omittendæ, eaque omnia sic comparata esse oportet, ut, si homo utiq; de facto legi contraria agere velit, id per naturæ arbitrium liceat. Frustra autem leges circa ea feruntur, quæ directioni hominum planè non subjacent, & quæ ex necessitate quadam, unumdecunq; illa sit, proveniunt. Equidem in utroque exemplo vestigia Legum Divinarum deprehenduntur, in priore, ut fœmina, cæteris paribus proli edendæ studeat; in posteriore, ut maritus laboret, sed utraque ad Naturales referenda, non ad Jussa Dei Positiva Universalia. Manet ergo, quod probandum nobis summus, in hoc Dei Judicio Legem tantum Uxoribus à DEO dictam, ut *potestati maritorum subjecta vivant, & in omnibus, qua desiderant, ad illorum se componantur*; Et ut de hoc non facile quis dubitaverit, ita *Positivam* eam esse Legem, non Naturalem nunc porro ostendemus. Elucescit autem id partim ex modò constituendi imperium, partim ex fine & natura contractus matrimonialis, ad quem nequaquam imperium aliud penes maritum existens requiritur. Præsupponimus initio omnes homines naturaliter sibi invicem esse

esse æquales, neque ullum in alterum peculiare aliquod jus aut imperium obtinere, nisi id suo vel alterius facto fuerit quæsitum. Adquirimus verò imperium vel per consensum, si unus vel plures in nos & successores nostros devolvunt aliquam in se potestatem vel imperium: vel per modum belli, si ipsi nobis vi in alios imperium constituamus. Nisi itaque ipsa uxor consensu suo marito aliquod imperium constituerit, aut maritus vi & per modum belli istud in uxorem obtinuerit, evidens est, quod nullum plane imperium ex Jure Naturæ resultans marito adscribi possit. Sicuti autem huic Juri non repugnat, ut Uxor imperium mariti subeat; ita tamen finis & natura matrimonii illud haudquaquam per se exigunt. Si enim vir aut foemina in naturali æqualitate constituti prolem sibi quærere cupiunt, necessarium quidem est, ut pactum primo intercedat de præbendo sibi invicem corpore. Illud tamen cum citra alterutrius subjectionem, imò continuam cohabitationem subsistere, & solam saltem sobolis procreationem respicere queat, nondum uni in alterum confert imperium. Possumus enim ad aliquid alteri præstandum esse obstricti, absque tamen necessitate, ut inde quoad alias quoque actiones ipsius imperium sequi teneamur, ceu pluribus demonstrat Pufendorf. *7. N. & G. L. VI. c. 1. §. 11.* Et videtur omninò, quod illud quoque Pufendorfii temperamentum aliquod admittat, quando ibidem *Jure Naturali in negotiis matrimonio peculiaribus Uxorem ad voluntatem mariti sese componere debere tradit.* Cum enim foemina eadem naturaliter gaudeat

libertate qua vir, omninò hic tenor pacti esset inspiciendus, ubi nihil obstat, quin foemina à viro quoque stipuletur, ut ipse in ejusmodi rebus suæ voluntati parere debeat. Si vero quoad ea nihil conventum, par utriusque censenda foret conditio. Etiam si enim pacto de præbendo sibi invicem corpore accedat quoque pactum de cohabitatione continua, quod non semper necessarium esse supra ostendimus, ne tamen quidem vel hoc subjectionem aliquam in muliere efficeret, sed matrimonium sola amicitia citra imperium contineri posse videtur. Altius itaque, quam ex Naturæ dictamine, jus & imperium mariti in uxorem repetendum est, scilicet ex Lege Dei, & ejusdem Dispositione Universalis, cujus terminum à quo & ortum jam antea indicavimus. Sunt equidem, qui jam ante lapsum Adamo potestatem in Uxorem tribuunt, ex ipsa dependentia foeminae ad virum naturali, Vid. Osiander *ad Grot. L. II. c. 5. ad Thef. 8. obs. 8.* hucque trahunt verba Apostoli *1. Cor. XI, 3. non est vir ex muliere, sed mulier ex viro.* Nec non ex *1. Tim. II, 12.* ubi docet Paulus, non convenire Uxoribus *αὐθεντεῖν ἀνδρῶν, ut auctoritatem aliquam sibi arrogent in maritos,* & id quidem etiam ex hac ratione, quia Adamus prius creatus fuerit Evâ. Enimverò posterior locus evidenter loquitur de potestate mariti, qua post lapsum per modum poenæ eam subiit Uxor, dum in sceleris societatem virum pertraxit, *v. 14. Adamus non fuit seductus à serpente, sed Eva, & hæc transgressionis culpam habet.* Principalis hæc ratio est, cui altera, tanquam secun-

daria,

daria adminiculatur, desumpta à prioritate creationis, v. 12. quæ in se prærogativam aliquam vel imperium tribuere non potest, cum alias sequeretur, etiam animalia cætera ante homines producta indè prærogativam aliquam in hos & jus accepisse. Conf. Dn. Thomas. *Inst. Jurispr. Div. L. III. c. 3. §. 37. seqq.* Eodem modo se res habet cum priore Apostoli, quem adduximus, locò. Nam, ut taceamus, multa in eo ipsum loqui non sine figura, quæ ultra tertium non sunt extendenda, & de ritibus illorum temporum ad consequentias non trahenda; illud plane non agit, ut in adductis verbis ex ordine creationis imperium marito aliquod adstruat, sed potius, ut probet, gloriosam imaginem DEI, quam fœminæ etiam gerunt, ipsas non habere immediatè à DEO, sed mediatè, mediante scilicet Viro, ex quo productæ, v. 7. cum aliàs negari non possit, & ipsam fœminam ad DEI imaginem creatam, per consequens etiam æque dominium ac Adamum consecutam fuisse, *Gen. I, 39.* Quando autem Apostolus hinc porrò concludit, quod ex ista ratione, quia vir immediatè ad gloriosam DEI imaginem conditus est, fœmina verò mediate, ille aperto capite in Sacris agere, hæc tegere caput *ἡ ἑσθίαν ἔχει ἐπὶ τῆς κεφαλῆς* debeat, non ad eò quidem aperta argumenti ratio est, illud tamen extra omne dubium positum, quod, dum velamen istud pro signo potestatis maritalis (metonymicè enim hic accipi *τῆς ἑσθίαν* communiter Interpretes volunt. Vid. *Erasm. Schmid. ad h. l. p. 1079. Polum. l. c. Tom. V. p. 443.*) Apostolus habet, ad statum non integrum, quippe à quo



quo talis *Uxor* exulabat, sed ad peccaminosum respici, quemadmodum etiam in Glossa d. *Comm. X. Lutherus ad C. III. Gen. v. 16.* remittit. Pererius, dum etiam potestatem in statu integro viro concedit, eam quidem valdè restringit, *fuisse*, inquit, *etiam in statu Innocentia mulier sub viri potestate, verùm non coactè, nec moleste, nullaque voluntatis repugnantia; cum enim mulier esset integro animo, rectaque mente, non nisi quod erat honestum & rectum expetens, libens gaudensque sub imperio viri fuisset, quia id voluntati divinarationique consentaneum esse intelligebat. Imperium quoque viri fuisset plenum aequitatis ac caritatis, nec uxor habitata esset ut serva & ancilla, sed ut carissima vita socia, consiliorum atque officiorum mariti particeps, & ad generationem prolis atque ad educationem adjuvrix.* *Comment. ad Genes. C. III. com. 16.* Ast quamvis placidam aliquam directionem hoc in statu, si continuatus fuisset, Maritis attribueri nihil repugnet, non tamen apparet ratio, cur potestatem vel imperium in alterum uni attribueri debeamus, ubi æquale jus (nisi quoad ordinem expediendorum negotiorum) æqualisque prudentia, & æquale ad officia studium apud omnes obtinuisset. Cæterum, dum marito uxorem subiecit Divinum Numen, non ad Evam forte solam, vel ad certas aliquas duntaxat uxores id præceptum extendi, sed *Vniversale* esse voluit, quod omnes omninò Evæ filias conjuges factas afficiat. Apparet id ipsum ex regulis & *κατανομαις* supra *sect. I, §. 9.* propositis. Datum quippe est ante institutam Rempublicam Judaicam, & quidem scæminæ to-

tura

tum foemineum sexum repræsentanti; quare sicuti pœna Adamo dictitata omnes æque masculos afficiebat, ita etiam hocce mandatum pœnale Evæ publicatum vim suam ad omnes uxores se extendere debebat. Unde patet, quod ratio ipsa etiam legis hujus universalis sit, & cessare eam propter illa hodiè nondum possit. Repetita etiam aliquoties est in Novo Fædere, & ab Apostolis graviter inculcata, locis non tantum iis, quæ modò retigimus, sed & aliis quamplurimis. *Oportet, ut mulieres subdita sint, 1. Cor. XIV, 34. Vxores, propriis viris subjicite vos, ut domino. Eph. V, 22. Colss. III, 18. Vxores se subjiciant suis viris, sicut sancta illa mulieres, & sicut Sara obedivit Abrahamo, Dominum eum vocans. 1. Petr. III, 1. seqq.* Quousque verò sese extendat mariti imperium; illud fortasse, si instituti nostri rationem excedere nolumus, à nobis hoc loco excutiendum non est; nullò modò tamen admittendum esse putamus, quod nomine istius imperii potestas uxorem ob delictum per judicii modum coërcendi ad ultima etiam supplicia procedens, involvatur. Non enim plus potestatis à DEO maritis concessum intelligitur, quam quæ quidem ad finem Societatis Conjugalis obtinendum sufficit; id verò cum sine judiciis, sine cæde fieri possit, nulla apparet causa, cur ad talia jus maritorum extendamus. Imo iis ipsis in locis, ubi mulieribus subjectio inculcatur, monentur simul subinde Mariti, ut jure suo cautè & providè utantur. Petrus jubet viros cum ipsis agere *κατὰ γνώσιν, ὡς ἀδελφεῖς ἐρασταὶ τιμὴν ἀπολαμβάνοντες ὡς ἡ συγκληρονομοὶ* (vel potius *συγκληρονο-*

○

μοις

μαις, ut Codices aliqui legunt ) *Χάριτος Ζωῆς* . 1. *Pet. III, 7.*  
 quæ sanè momenta maxima sunt ad docendum , valdè  
 temperatum debere esse maritorum illud imperium in  
 uxores. Quid verò, ais, si uxor tam pravis sit moribus,  
 ut per imperium mariti moderatum, imò duriusculum  
 etiam ad sanam mentem reduci non possit, vel si in-  
 fidetur vitæ mariti, liberorumve, vel alias commit-  
 tat aliquid brevibus gyaris & carcere, vel etiam ulti-  
 timo supplicio dignum? Respondemus, vel sermo est  
 de conjugibus in statu civili viventibus, & notum est,  
 quæ eodem hisce malis remedia sint parata; vel de sta-  
 tu naturali & familiarum segregum; in quò cum nec  
 judiciis nec suppliciis sit locus, (utpote quæ omnia po-  
 testas civilis produxit,) nihil aliud suppetit, quam ut,  
 si potestas mariti improbitati uxoris obicem ponere  
 non possit, tandem domo eam expellat, & ubi hosti-  
 lia moliri pertendit, defensione violentâ etiam cum cæ-  
 de à se amoliatur. Igitur non possumus probare sen-  
 tentiam Jo. Frider. Hornii & Henniges, quorum ille *de*  
*Civit. L. I. C. I. §. 6.* & hic *Observ. ad Grov. L. II. c. 5. p.*  
*458. seq.* eò imperium Adami in Uxorem dilatant, ut  
 etiam jus vitæ ac necis in se comprehenderit, quod & o-  
 lim Lege Romiliâ constitutum testatur Dion. Halicar-  
 nass. *l. II. c. 4 Antiqq.* & apud multos populos usu re-  
 ceptum fuisse constat ex Bodino, *de Republ. L. I. c. III.*  
*§. 5. 6.* Rectius Aristoteles, qui dum jus mariti, quod  
 in uxorem habet, describere vult, illud à potestate in  
 servos, quæ jus vitæ & necis dabat, distinguit; in U-  
 xorem *πολιτικῶς, civiliter & tanquam in aequalem impe-*  
rium.

rium *domesticum* (nam de eo agit) exercendum esse ait, de *Republ. L. I. c. 8.* ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ ἢ δῆλον ἢ αὐτὴν ἔχειν τὰ ἔν, *apud Barbaros fœminam & servum eodem esse ordine & loco. eod. c. II, Cont. Oeconom. c. IV.* Illa adhuc scrupulum moveri possunt, *annon, si fœmina à marito sibi imperium stipuletur, aut si Respublica regenda committatur mulieri, ea Legi huic Div. Positiva Universali repugnent?* Ubi quidem quoad posterius sine hœsitatione Negativam amplectimur, cum Deus non fœminas masculis, sed uxores tantum maritis subjecerit, ac per hœc fœmina Imperium civile habere possit. Deinde non nisi domesticum imperium mariti acceperunt, quod utique retinere sibi possunt, & uxori (quod sæpius factum) Civile relinquere, quamvis non negemus, per hoc in tali casu illud non parum limitari, quod tamen non obest; sufficit enim, quod non omninò tollatur. Vid. Dn. Hert. *Prudent. Civil. p. I. Sect. 6. §. 16.* Ad prius quod attinet, non ita in promptu est responsio, cum utrinque non leves sese offerant rationes. Dn. Thomasius ex eo, quod hac subjectio à Deo fœminis non in favorem & premium mariti; sed in odium & pœnam sexus fœminini injuncta, & ita quasi hujus executor maritus à Deo constitutus fuerit, infert: non esse in mariti arbitrio positum, ut vel per pacta conubialia, vel per tacitam conniventiam imperii domestici habenas conferre possit uxori; sed qui hoc faciant, non minus peccare ac Magistratus inferiores, pœnas delinquentibus non inferentes, sed jus aggratiandi, quod soli legislatori relinquendum est, sibi arrogantes. l. c. l. III.

c. 3. §. 48. Et sanè non ab re hæc dicta videntur. Cum enim in humanis, quæ publice constituta sunt privatorum pactis interverti non deceat, cur non multo magis de Lege à Deo lata idem esset pronuntiandum? Enimvero si indolem & scopum constitutionis divinæ exactius perpenderit, videtur utique mulieribus adhuc aliquid concedi posse. Lex ea quidem pœnalis fuit, & perpetuam uxoris obligationem imposuit; sed ratione maritorum licet non præmii, quod dici non potest, favoris tamen & juris singularis respectum habuit, ut haberemus aliquod solatium pro eo, quod fœmina dolosis persuasionibus eas nobis attraxit calamitates, cum quibus miseris hodiè num assiduè luctandum est. Nam illud utique fieri potest, ut privilegium & jus uni concessum intuitu alterius pœnæ rationem habeat. Possè tamen & quemlibet Juribus pro se introductis atque beneficiis renunciare tam notum est, quam quod notissimum. Inde forte ex præcepto divino saltem colligitur, quod sine peccato fœmina imperio mariti, si ille jus suum in uxorem exercere cupiat, haud resistere, aut illud contra ipsius voluntatem in se derivare possit; nil tamen impedit, quo minus maritus salva Lege Dei de privilegio aut jure pro se introducto remittere, aut illud ultro in fœminam conferre queat. Lex enim de obligatione in gratiam maritorum disponit, quorum si qui ita inepti vel liberales esse, ac de suo jure concedere ipsi velint, inde Legi Divinæ nihil quidquam decedit, cum reliquæ pœnæ à DEO mulieribus propter transgressionem impositæ per id non tollantur.

Dabi-

Dabimus exemplum , ut res evadat manifestior & tolleretur omne dubium. Sint duo , v. gr. scortator cum scorto ad opus publicum condemnati , ut biroto fordes ex urbe vehant, hoc quidem , ut oneret , ille ut trahat ciseum. Cisiarius in gratiam amasiæ utrique labori se sponte submittit, nec postulat, ut id, in quod condemnata est socia , ab hac præstetur. Non erit cur Magistratus, tanquam jussui non satisfactum, indignetur, si modò pensum absolvatur, & utrique labori perficiendo cisiarius par sit. Patet hinc etiam , comparisonem cum Magistratibus inferioribus, quâ Dn. Thomasius utitur , hic non invenire locum, tum propter alia , tum quia maritus de jure suo remittens, nihil in præjudicium Juris divini agit , nihilque inde poenis divinis reliquis adimitur.

§. X.

Offendimus originem Imperii maritalis esse à Legge DEI; sed non omnibus hæc veritati consentanea videntur. Grotius ad ipsam naturam refert , quæ *dum sexu discrevit Virum à fœmina , eo ipso quoque illum caput uxoris constituerit in rebus conjugii & familiae. L. III. c. 5. §. 2.* Cui respondit H. Henniges *p. 458.* & Thomasius *l. c. §. 110. p. 458.* Et certè si rem rectè reputemus, vix doceri poterit, in quò illa sexus masculini præ fœminino præstantia consistat , quæ talem effectum producere sit apta. Quod si enim in corporis viribus eam quæras , en Anazones , corporum robore viris non inferiores, quarum res gestas frustra in

dubium vocari eleganti Dissertatione ostendit Petr. Petrus. Quin, si corporis vires imperium secum trahant, sequeretur, quod & filii robusti in parentes ævo confectos & decrepitos imperium exercere debeant. Discrimen autem, quod ratione animi dotium inter marces & fœminas intercedere videtur, minimè universale est, utpote cum ex temperamenti qualitate dependeat; & præter laudatas Amazones multæ recenseri possent fœminæ tantis animi donis præditæ, ut & fortissimis & prudentissimis viris æquiparari, si non anteferri mereantur. Quod si tamen re ipsa deprehenditur, sexum masculinum fœminas animi dotibus superare, id omninò non naturæ sexus cum Aristotele ( qui *παρὰ φύσιν* hoc fieri putat, *L. 1. Polit. c. 7.* ) sed educationi à Gentibus communiter receptæ tribuendum est, quæ genuina causa imperfectionum in sexu muliebri esse videtur. Celeberrimus Dn. Thomasius ut in cæteris sic etiam hac in causa mentem suam mutavit, in adducta sæpe *Observatione XXVII. Hallens. §. LV. seq.* Rationes in medium profert has. I.) *In Ebræo esse Futurum, dominabitur, non Imperativam.* II.) *DEVM Gen. III, 16. tantum fructus lapsus, naturali aut morali consequentiâ eum subsequuturos, recensere; quò cum quoque pertineat imbellicitas sexus, inde non potuisse non sequi, ut maritus fœmina imperet.* Enimverò magis placet Thomasius prioristicus, si ita loqui fas est, quam posterioristicus, nec tanti hæc sunt, quin in hujus gratiam illum deseramus. Nam Imperativa verba per tempus Futurum apud Ebræos exprimi, ut & vice versa Fu-

sa Fu-

sa Futura per Imperativum est in confesso. Videantur (ut ex innumeris pauca tantum adducamus,) *Gen. I, 3. Gen. XII, 2. Deut. XXXII, 49. 50.* Fructus seu consequentia lapsus *Gen. III.* recenseris non negamus. Spectare ad eadem etiam mulieris subjectionem fateamur necesse est, sed per modum præcepti seu Legis eam non inculcari toti narrationi Sacræ repugnat. Sistitur DEUS, ut Judex & vindex justissimus, qui non commemorat, quæ eventura sint per lapsum, sed sententiam fert & poenas dicitur, Nihil etiam ad rem facit *imbecillitas sexus* in fœmina, nec probari poterit, ejus causâ imperium Marito concessum. Nam nec tanta ea est à natura, quantam ex consuetudine & educatione molliori hodiè fœminis esse cernimus; nec, si utique esset, ea necessariò Maritorum potestati uxores subiceret; sequeretur enim aliàs, quod & innuptæ & viduæ masculorum imperio subjectæ esse deberent. Confer de mulierum præstantia Gregor. Rolbagii *Certamen Masculo-Fœmin. aciei fœmin. c. VI. seqq.* Brücknerus *Legem* in verbis Divinis quidem agnoscit; sed *Naturalem pro certo illo, in quo nunc vivimus, rerum statu peccatis obnoxio; l. c. proæm. §. 45. seqq.* Non autem admitti hoc posse constat ex iis, quæ jam in præcedentibus dicta sunt: cum nec natura eam inæqualitatem dicitur, nec Socialitas requirat, licet Juri Naturali non adversetur. *Finem matrimonii sine Imperio Maritali hodiè non posse obtineri, frustra dicitur, & multa prostant exempla domuum, ubi curam rei familiaris liberorumque educationem Mariti aliis negotiis occu-*

pati



pati uxoribus felici cum successu relinquunt. Injuria etiam fit foeminis, dum adeò *duris & adversis ingeniiis praeclata* dicuntur, ut imperio maritorum opus sit, quò coërceantur & capistrum velut injiciatur. Est, dari nonnunquam Xantippen aliquam & intractabilis animi foeminam; numquid hoc ideò in universum sexum redundat, & num omnes viri in hoc mulieribus sumus meliores? *Hodie societates sine imperio & subjectione vix subsistere posse* admittimus, si de magnis hominum cætibz sermo est, cum ea sit ratio introductarum Civitatum; sed, quod eadem necessitas Imperii & subjectionis in Societate Conjugali occurrat, & quod Naturalis lex eam urgeat, id est, quod equidem negamus, dum illa animorum & corporum conjunctione communiter hæc societas contineri possit, glutine & vinculo, quo fortius vel constantius facile non potest reperiri. Parum indè sententiæ suæ ponderis addit Brüknerus, *quando omnes Gentes cultiores, etiam extra Ecclesiam veram, quæ nullam omninò vel notitiam vel curam pœnae istius divinae habuerint, dominum maritis in uxores tribuisse* probat; Non enim universaliter hoc dici posse, facit exemplum Amazonum; & de foeminis quibusdam Biscajæ maritimis memorat Comes d' Aonoy, quod minorem quasi rempublicam constituentes solæ virgines sine viris agant, imò ne quidem hosce passas in societatem recipiant. Fortissimas esse & animi plusquam virilis, regi à Senioribus sui sexus, & plerumque è piratica vivere. *Reise in Spanien I. Schreiben/ p. m. 17.* Has si conjugium inire contingat (quod quomodo fiat, vid.

vid.

vid. l. 'c.) maritis habenas in se concedere vero vix fit simile. Non adducemus nunc illud adversus Brücknerum, quod ex moribus Gentium esse aliquid Juris Naturalis non validè satis probetur, cum multa per imitationem ab uno ad alium, & à pluribus progressu temporis ad omnes populos pervenerint.

§. XL

Sexta LL. Div. Positionis Universalium se ad nos vocat, quæ est *de Homicida capitaliter puniendo. Deum* eam habere auctorem dubium esse poterit nemini, qui non planè hospes est in lectione Sacrarum Literarum, & indè novit, Deum statim post diluvium inter alias constitutiones & hanc disertis verbis dedisse: *Quisquis effuderit sanguinem hominis, istius sanguis iterum per hominem effundetur. Gen. IX, 6.* Addita gravi ratione: *Nam DEVS ad imaginem suam efformavit hominem*; quæ verba vel de imagine Dei, quatenus in occiso, intelligi possunt, quam homicida facinore suo extinxit; vel de eadem in ipso homicida existente, ut hunc habeant sensum: Quia Deus ad imaginem suam hominem efformavit, Deus vero non est Deus cædium & homicidiorum, sed vitæ & amoris, ergò etiam imaginis hujus memor esse debuisset homicida; quod cum non fecerit, merito reus esto mortis, & per quòd peccavit, per idem punitor & idem. Quemcunque admittas sensum, patet ratio Universalitatis, quia in omnibus homicidas & percussores dolosos ea perpetuò

P

qua-

quadrat, cui adminiculatur & altera ratio, quæ in præcedenti Commate quinto habetur, ubi DEUS affirmat, se ulturum eadem hominis in quovis percussore, *quia occisi frater est*, hoc est, quia peccat in cognationem istam, qua ob communionem sanguinis omnes homines inter se devinciuntur. *Act. XVII, 26.* Quod autem *Legis* rationem hæc DEI effata habeant, inde constat, quod non solum in proximè antecedentibus expressa Lege prohibet, *ne carnem cum sanguine comedant v. 4.* sed &, quia sub ratione Legis Israëlitis denuò hæc aliquoties inculcantur *Exod. XXI, 12. Levit. XXIV, 17. & Numer. XXXV. 16. 31. 33.* ex quibus omnibus enixa Dei voluntas manifeste patefit, licet non inficiemur, potuisse fieri, ut ante institutas Republicas vel bello vel casibus fortuitis per alios homines, quibus executorum loco Deus usus, fata percussorum accelerarentur. Vid. *Grot. L. I. c. 2 § 5.* Nihil enim repugnat, Legem ferri aliquanto prius, antequam executio ejus fieri, vel saltim antequam ordinariis modis fieri potest; & recte sese habet in loco *Gen. IX, 6.* Lutheri Glossa: **Hie ist das weltliche Schwerdt eingeschet / daß man die Mörder tödten solle.** Neque quem offendere debet, quod in Fontibus verba divini præcepti non in Imperativo, sed in Futuro enuncientur. Nam notum est, in Legibus Sacris hunc loquendi modum valdè usitatum esse, & Futura sæpè Imperativorum modorum vim induere. Osiander *ad Grot. l. c. Observ. I. p. 347.* Porro quod *Universalis* ex mente Dei hæc Lex esse debuerit, & omnes omninò homines, non populum solum

Judai-

Judaicum obligare, ex rationibus non unis colligitur. *Primò* enim jam ante diluvium & in ipso statim rerum exordio eam hominibus innotuisse testatum faciunt lamentationes Caini & Lamechi, quorum uterque post homicidia commissa de imminente sibi pœnâ talionis, tanquam re ex voluntate Dei certâ conqueritur. *Gen. IV, 14. 23. 24.* Deinde instauratò post diluviùm humano genere Noacho Lex hæc iteratò proponitur, cum solus adhuc ille cum paucis in mundo esset, & quæ ipsi à DEO mandata fuerunt, meritò pro universalibus jussis haberi debeant, ab omnibus, quos ipsi procrearunt, observandis, nisi si qua singularitatis ratio in quibusdam luculenter doceri possit. Accedit *tertio*, quod rationes additæ perpetuæ sint & universales, licet per solum rationis debilioris dictamen non pateat, homicidas ideo & ipsos mortis pœnam debere subire, quia socium è communi sanguine procreatum, simulque in eo divinam imaginem extinxerunt, vel quia egerunt aliquid, quod impressæ sibi divinæ imagini adversatur. Rationes istæ certè sunt gratissimæ & morales, licet, ut dictum, de iis per solam naturam non constet; ac quia eadem adhuc apud omnes homicidas locum inveniunt, hinc rectè etiam divina ista pœnâ adhuc ad ipsos porrigitur, nisi mutata divina quoad hoc voluntas doceri possit. Id quod tamen nequiquam factum esse loca Scripturæ Novi Testamenti non una de homicidis capitaliter puniendis loquentia affatim testantur. Juvat nunc provocare ad *Matth. XXVI, 52.* ubi Christus discipulum gladio se defensurum dehor-

tatur, additis hisce verbis ; *qui gladium sumit, gladio peribit.* Quibus innuere vult, gladium seu jus ultimum suppliciorum in percussores competere Magistratui, in cujus manus ne incidat, sibi caveat, & recondat ensem in vaginam. **Wer das Schwerdt nimmet, inquit B. Lutherus in Glossa, der ist in des Schwerdtis Urtheil gefallen.** Also bestätigt Christus das Schwerdt. Facit etiam huc locus Pauli *Rom. XIII, 4.* in quo licet per *gladium, quem Magistratus gesser,* potestas istius in genere significetur, rectè tamen etiam eminentior ejusdem gradus, qui in jure capitaliter puniendi cum alios facinorosos tum quoq; homicidas consistit intelligitur. Adduci solet etiam locus ex *Apocal. XIII, 10.* *Si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Sed dubium, an satis commode, si scopum verborum illorum respiciamus. Sermo enim est de Bestia multicipite & ejusdem persecutionibus fidelium, quos erigere & solari vult Spiritus Sanctus per ea, quod pronunciat, Deum justissimum vindicem jure talionis tandem ulturum ista mala, sicut, qui in carcerem detruserint Sanctos, & ipsi in vincula conjici, qui occiderint, gladio vicissim perire debeant. Quod confirmari videtur notabili epiphonemate: *ὁδὲ ἐστὶν ἡ ὑπομονὴ καὶ ἡ πίστις τῶν ἀγίων*, quo ad patientiam & fidem fideles excitare vult. *Locum illum non agere, inquit D. Theod. Pauli, de Judicio Politico vel humano, sed divino, in quo plerumque suo tempore par pari refertur, ostendunt verba finalia v. 10. hac est fides & patientia Sanctorum: Quasi diceret: eo firmari Christianorum patientiam, quod norunt Deum suarum in-*

*juria-*

*juriarum fore vindicem. Quod in Domitiano impletum eruditè notat Grotius. Veris Juris Princip. p. II. qu. 26. p. 184. Lex itaque DEI est, non comminatio nuda, quod aliqui volunt, quando homicidas mortis reos Deus pronunciat; Lex etiam Universalis est, & poena homicidio non tantum lege Judæorum Politicâ statuta, sed & diu ante Noachidis, universum genus humanum tum referentibus ad observandum proposita, & in N. Fœdere à Christo atque Apostolis repetita. Non tamen idè Lex Naturalis est, sed Positiva, quod ipse etiam Grotius l. c. fatetur. Nam quamvis Naturâ liqueat, quod delicta pœnis debeant coërceri, in eò tamen Doctores conveniunt ferè omnes, quod modum puniendi naturæ dictamina non definiant, sed Legislatorum Civilium judicio relinquant. Imò si solam rationem audiamus, vix certum aliquod argumentum inveniemus, quod necessaria esse ultima supplicia, eoque jus summorum Imperantium se extendere evincat. Nam in pœnis emendatio delinquentis & securitas cæterorum quærenda sunt, quorum tamen nec illud obtinetur, si è medio tollamus delinquentes, nec hoc satis efficaciter, dum exemplis licet statutis mali tamen indè peccare non desinunt, sed sæpè, dum in patibulum fures aguntur, inter spectatores crumenifex pravas suas artes exercent; uterque verò finis per alia media multo melius & certius impetrari potest, si v. g. n. ergastulis inclusi delinquentes honestis doctrinis imbuantur, & durioribus laboribus defatigentur, donec malè agendi libidine extinctâ ad frugem verè reversi fuerint.*

Plerosque enim ad delinquendum defectus disciplinæ & ocia invitant. Porro sive in statu naturali, sive in civili spectemus homines, vix tamen certi quid de necessitate ultimorum suppliciorum solo Naturali Jure definire licebit. In priore enim jus illud ad capita Familiarum referendum foret; quod tamen nemo facile dixerit, cum directò tale jus Patribusfamilias datum è finè hujus societatis colligi nequaquam possit. Civitates coaluerunt per duo pacta, quorum tamen nec prius nec posterius necessario jus capitaliter puniendi in se continet, & communi hominum inclinationi repugnât, alteri cum imperio etiam jus vitæ ac necis in se directo concedere; maximè cum ad fines pœnarum obtinendos regulariter istud medium nec sufficiens esse, nec necessarium modò ostenderit. Hæc, inquam, & fortè alia persuadere possent, solo Naturæ jure non necessarium esse, ut ultima supplicia pro ullo aliquo delicto, vel etiam in specie pro homicidio irrogentur; quamvis non negemus, justè nihilominus aliquando posse Summos Imperantes etiam ad capitis pœnam procedere, si quando scilicet supra dictos fines aliter assequi non possunt, vel peculiari causa & conditio reipublicæ exemplum tale postulet. Nam in desperatis morbis quandoque etiam desperata remediâ adhibenda, & extremæ necessitatis casu multa fiunt licita, quæ extra eam non permitti possent. Quicquid autem denique horum sit, certe tamen Jus Naturæ rationes istas, cur DEUS in homicida gladii pœnam constituerit, eamque universalem esse voluerit, per-

vestiga-

pervestigare nequit, cum sint altioris indaginis, & inde Lex ista merito inter Divinas Positivas referenda. Nec mirum hoc videri potest, dum facili nobis negotio persuaderi patiemur, Deum ex certa aliqua causa aliquid pro iniquo habere, vel punitum graviter velle, quam nos nostræ rationis sibi relictæ modulo comprehendere non valemus.

§. XII.

Audiemus nunc etiam eos, qui circa hanc Legem aliam sententiam amplectuntur. Grotius, quamvis inter consentientes modo relatus fuerit, dum *l. c.* disertis verbis non *comminationem in loco Gen. IX, s. 6. sed approbationem DEI, non factum nudum, sed jus contineri* ait; tamen alibi admodum fluctuat, & dispensandi jus ex variis causis sibi ipsi contrarius iudicibus concedit. Verba ejus sic habent. *In ipsis homicidiis non tam factum nudum spectandum mihi videtur, quam quæ antea vita occisoris fuerit; veneritne ad hoc facinus impetu an deliberatione.* Hactenus bene, cum omnino de doloso homicidio divina lex loquatur; proinde regulas bonæ interpretationis cautissimè adhibeant iudices, ne quem gladio subjiciant, nisi qui dolosè homicidium perpetravit. Quando autem addit Grotius: & *quod præcipuum est, sitne ingenium sanabile*, id non ferendum est, cum ad dispensationem pertineat, quæ in LL. Divinis humano Magistratui non competit. *Nam & hoc, pergit, Seneca præcipit, ne quis pereat,*



pereat, nisi quem perire etiam pereuntis interfit, quod ipsum tamen videtur aut nunquam aut rarissime locum habere posse. Senecæ hoc admodum laxè dictum, imprimis quoad supplicia ultima, ubi interesse potius publicum, quàm intereuntis spectandum, quamvis & animæ ejus habenda sit ratio Christiano Magistratui; quod fieri potest, tametsi corpus patiatur. Quando enim (sic ulterius Grotius) constabit, spem omnem pœnitentiæ præcisam? Resp. Non opus habet nec debet Judex hanc pœnitentiæ expectare, sed, tametsi de ea spes foret certa, Legem Divinam exsequi. Hac, inquit deinde, discrimina à Judicibus expendi multo esset satius, quàm alios ex solo facti nomine audito ad mortem rapi, aliis, qui gratia & amicis valent, per indulgentiam Principalem contingere quamvis atrocium facinorum impunitatem. Hoc quidem malè, sed indè nihil consequitur pro liberandis dolosis homicidis à divinâ pœna. Recte Grotius, quando subjicit: Nam quod quidam existimant, homicidio naturaliter respondere capitis pœnam, in eo falluntur. Pœna enim delictorum non sunt ipso jure Natura, aut ulla DEI perpetua Lege (si homicidia excipias) constituta, sed pro modò inde imminentis periculi intendi & remitti solent. Dacet nos Caini historia, primâ illâ mundi aetate pœnam homicidii fuisse latam fugam, cujus accessio erat, quod pii purique homines ira contaminatorum ad spectum contactumque declinabant. Invitâ Sacrà Historiâ hanc interpretationem Grotium facere patet ex præcedentibus; non enim ipsa fuga fuit pœna homicidii, sed causa fugæ, inminuens amissio vitæ, quam fuga declinare pu-

putabat fratricida Cain. *Feritas*, quae ante diluuium humanos mores invaserat, occasionem nova Legis dedit, ut nimirum homicida sanguis effunderetur, quae lex, ut illis temporibus accommodata à DEO in ipsa humani generis post diluuium instauratione promulgata est. Sed Optimus sua legis interpres Deus id refert ad eadem, quae fit deliberatò, structisque insidiis. *Exod. XXI, 14.* Dubitare hæc non sinit, Grotium Legem de homicidâ capite plectendo pro Universali Positiva habuisse, siquidem conferamus *I. Bell. & Pac. L. I. c. 1. §. 15.* ubi inter jura universo humano generi data, i. e. positiva Universalia, etiam refert medio loco ea, quae post diluuium in reparatione generis humani Noachidis proposita fuerunt. Non autem videmus, quomodo cum hac hypothese stare possint, quæ pro abroganda homicidii poena, vel mitiganda, & pro legis dispensatione in medium porto adfert. *Diu inquit, stetit & floruit Romana Respublica, cum Magistratuum cognitio deportationem non excederet. Postea quoque, cum jam leges latae essent de morte puniendis homicidis, multas tamen exceptiones usus reperit, ita, ut intra relegationem saepe severitas consisteret. Difficile est exactam servare mediocritatem; at, si quid peccandum est, in istam lenitatis partem potius peccandum est. Forte non pauciores à delinquendo absterret ad opus damnatio, quam mors ipsa. Et simul, quod præcipue spectandum est Christianae dilectionis, daretur spacium agenda poenitentiae, quæ nunquam iterum supplicii præcipitatione præciditur. Comment. ad Matth. V.* Aliqua in his cæteroquin non spernenda, in dubio ubi de

Q

dolo

dolo non satis evidenter constat, salva DEI lege in mi-  
 tiorem partem propendere debet Judicis sententia se-  
 cundum rationis nostræ dictamina condemnatio ad o-  
 pus publicum ultimo supplicio præferenda; dandum  
 ad pœnitentiam aliquando longius temporis spacium  
 supplicii candidatis, cum non in hominis manu sit, seriò  
 pœnitere, quando velit; & pœccant sæpe Judices, exse-  
 cutionis terminos nimis præcipitando. Sed humani ar-  
 bitrii non est, vel mutare pœnam, vel verè pœnitenti-  
 bus gratiam facere, aut pœnitentiam dilaturos diu ni-  
 mis expectare, cum DEUS ipse talibus procrastinato-  
 ribus quotidie mortem immittat, antequam pœ-  
 niturint. Sunt quoque è Jctis & Doctori-  
 bus Juris Romani, quos vide apud Didac.  
 Covarruviam, *Varr. Resolut. L. II. c. 9.* qui homi-  
 cidii pœnam in pecuniariam commutari posse dum  
 statuunt, in ea videntur fuisse sententia, quod nulla  
 Universali Lege ea à DEO fuerit sancita. Nituntur  
 autem ferè certis tantum quibusdam opinionibus & Le-  
 gibus malè intellectis, interque alias notissimâ illâ *l. ad  
 bestias 31. ff. de pœn.* unde probare volunt, ob peritiam  
 & insigne aliquod artificium delinquentis gratiam fieri  
 posse. Enimverò sicut constat, malè rem cecidisse  
 Jcto quondam magni nominis Azoni (fonti legum &  
 lucernæ juris, ut Baldo appellatur *in l. contractu 17. C.  
 de fid. instrument.*) qui dum ad tribunal raptus, quod  
 in fervore disputandi adversarium occidisset, ad dictam  
 legem: *ad bestias* provocans, judices imperitos & falso  
 persuasos, se bestias vocari, eo magis irritavit, & faci-

nus

nus tandem capitis poenâ luit, ceu refert Alciat. *Parerg.* L. IX. c. ult. ita perperam dictæ legi sensum istum attribui dudum non ipse solum Alciatus l. c. L. II. c. 28. Sed & Brunneman. ad d. l. aliique docuerunt. Cæterum apud plurimas Gentes, Danos, Polonos, Suecos, Frisios & Holfatos olim receptum fuisse, ut homicidæ certa pecunia poenam redimerent, quod ipsis dicitur, **einen toden Hals lösen durch ein geringes Wehr-Geld oder Mann-bußel** memorat Befoldus, *Theſaur. Pract.* voc. **Toden-Hals lösen** n. 27. Eadem ratione Legibus Saxonum, Baivariorum, Alemannorum, Scotorum aliorumque non nisi multâ partim propinquis partim fisco inferenda homicidia quævis antiquis temporibus punita, ceu pluribus videre est ap. Schilter. *Prax. Juris Rom. Exerc. XLIX, §. 114. seqq.* Verùm ut hæc sine dubio partim ex ignorantia Legis Divinæ, partim ex sinistra ejusdem interpretatione processerunt, ita sequioribus temporibus mutata, & vis divinæ legis agnita, dum plerique ultimam rationem introductæ poenæ capitalis in divinâ ista sanctione quæſiverunt. Paucis abhinc annis Theologus quidam Wittebergenſis, D. Ph. L. H. dum *jus gratiæ in reos noxa capitalis Principi Christiano* voluit vindicare, sublatam vim Legis Divinæ, mutatumque rigorem in gratiam sub regno Christi gratioso docuit. Hujus argumenta cum satis solidè enervaverit Lipsiensium Theologus primarius, Celeberrimus Dn. Ad. Rechenbergius, in *dissert. de Jure Principis Christiani Aggratiandi circa homicidium negato*, edit. A. 1702, nos iisdem ulterius ventilandis operam insume-

re nolumus. Plus ponderis habent, quæ Vir quidam παλομαδέπαιτος, qui sub Justiniani Clementis nomine late-  
 re voluit, in schediasmate Germanico, gewissenhafte an-  
 merkungen von dem Amte einer Christlichen Obrigkeit die  
 Leib und Lebens Straffen derer Ubelhåter betreffend, edit.  
 1698. hac de re cum Judicibus, JCtis & Theologis com-  
 municavit. Potissima ejus ratio, cur Leges V. T. de  
 homicidis capite plectendis in N. T. non amplius ob-  
 tineant, (si mentem rectè percipimus) hæc est, quod  
 putant, pœnam istam rationem typi habuisse, & istud  
 etiam scelus sanguine Christi suo tempore effundendi  
 expiandum significasse; quo facto non decere, ut sal-  
 tim verè pœnitentes homicidæ, quorum suo sanctissi-  
 mo sanguine & reatum & pœnam capitalem Salvator  
 sustulerit, hodiè juxta rigorem Legis Mosaicæ truci-  
 dentur. §. XXII. seqq. Conveniunt cum his fere, quæ  
 in eodem argumento proponit D. Theod. Pauli, undè  
 nonnulla huc transcribere non erit tædio. Porro, in-  
 quit, *in hac sententia me confirmat luculenta ratio spe-  
 cialitatis, ob quam precipue homicidium in V. T. capita-  
 le fuit, qua tamen in N. F. juxta disertam Sacra Scri-  
 ptura literam est sublata. Nimirum in V. T. homicidii  
 voluntarii nulla fiebat vel privata pœnitentibus remissio,  
 vel publica expiatio, nisi per sanguinem. Hinc sanguis  
 occisi tamdiu terram polluere, & ad cælum clamare di-  
 cebatur, donec sanguine homicida elueretur. Id quod  
 tanta olim erat necessitatis, ut in casu reperti corporis,  
 cujus cadis auctor ignorabatur, vitulam, qua collum ju-  
 go nondum submiserat, publicè mactari oportuerit, addi-  
 ta per*

ta per Seniores protestatione de innocentia populi. Deut. XXI. In N. autem T. eadem per sanguinem expiandi necessitas non remansit. Unde typus vitula sublatus, postquam sui ipsius preciosissimi sanguinis perfecto sacrificio semel introiit in Sancta Jesus Christus, & vere poenitentes vitamque per fidem & fiduciam in meritum ejus emendantes venerunt ad Meditatore[m] N. Testamenti, ejusque sanguinis asperionem, qui melius clamat, quam sanguis Abelis, ipso dicente Apostolo ad Ebr. XII, 24. Haecenus D. Pauli, l. c. Part. II. Qu. 22. p. 155. Speciem hæc habere fateamur necessum est, & multum apud nos essent valitura, nisi rationes, unde Universalitatem Legis probavimus supra, nimiumquam apparerent manifestæ. Relinquemus plenius discutiendum Theologis, an typi ratio supplicio homicidarum in V. T. subfuerit, in quo arx velut hujus causæ constituitur. Nos dubia nostra indicabimus paucis. I. Homicidam nocentem & juste merentem esse typum innocenter patientis Salvatoris non videtur conveniens. (II) Vitula homicidam retulit, non ergo mortis Christi typus fuit. (III) Si intuitu mortis Christi vere poenitentes liberati sunt à supplicio, sequeretur, quod etiam in V. T. verè poenitentes & in Messiam credentes homicidæ ab eo immunes esse debuerint, quod tamen non factum. (IV.) Si meritum Christi homicidas liberat à supplicio, sequitur quod multo magis omnes homines liberet à morte ordinaria. V. Si in V. T. impoenitentes justè potuerunt ad supplicium rapi, quales plerosque fuisse vix dubitandum; sequitur, quod etiam id hodiè licitè fieri possit,

ubi delinquentes indulto ad pœnitentiam spacio pœnitere recusant. Hæc sunt nostra dubia, quorum ulteriores rationes in conflictu vel aliàs dabimus. Ali-  
 bi laudatus D. Pauli idem repetens, *capitalis*, ait, *pœna, qua in V. T. obtinuit, Positiva tantum fuit, qua in N. T. non ejusdem, uti olim erat, i. e. immutabilis est necessitatis.* Hoc ut probet, inter alia etiam ad locum *Math. XXVI. 52. quicumque acceperint gladium, gladio peribunt, respondet, isto quidem probari, judicio Christi justum esse, si homicida patiatur id, quod alteri fecit; sed pœnam capitalem immutabilem vel irresistibilem isto dicto esse redditam, induci sese non posse, ut credat. Intentionem Christi ibi non magis fuisse determinare pœnam homicidii, quam Job. IIX. pœnam adulteriil. c.P. II. Qu. 26. p. 183.* Parum certè hâc expositione causæ suæ consulit; sed nostræ potius fert suppetias D. Pauli. Quodsi enim, Christi judiciò, justum est, homicidas vitâ privari, habemus, quod volumus; nec opus est, ut Christum hic spectemus, ut Legislatorem, qui pœnam immutabilem dicitur vel determinet; sufficit enim, quod ad Legem antiquam respiciat, ejusque, tanquam adhuc receptæ & retinendæ pœnam incursum omnem eum pronunciet, qui armis vel aliis nocendi instrumentis (*μὴ χαίρειν* enim eo loco id denotat) temerè arreptis alteri vitam animo deliberato cripiat. Dn. Autor *Observationis* Hallensis & D. Bruckner quoad hanc Legem nihil nobis ciant negotii; dum uterque quidem Legem Divinam Positivam Universalem negat, sed ille §. XLV. negationis specialem planè nullam, hic

verò

verò frivolam admodum rationem adfert, & ideò determinationem ultimi supplicii totum genus humanum non obligare putat, quia David Rex homicidii voluntarii poenam Absoloni remiserit. 2. *Sam. XIII, 14.* & hodiè non desunt exempla eorum, quibus homicidii poena remissa à Principibus. Nihil huic respondendum ducimus aliud, quàm non exemplis, sed Legibus esse judicandum.

§. XIII.

Restat è LL. Divinis Positivis Universalibus *Septima* & ultima, de vitandis quarundam personarum connubiis, de quâ cum non minus quam circa reliqua sint sententiarum divortia, breviter nuncetiam aliquid dicturi sumus. Ac primum quidem in eo forte neminem habebimus nobis adversum, DEO auctori tribuendas esse eas Leges, quæ hac de re *Levit. XIX. & XX.* proponuntur. *Positivæ* etiam easdem esse & Naturalibus contradistinguendas verior omninò sententia est, quamvis non omnibus probata. Nam causas certas ac naturales, cur talia conjugia, ita ut Legibus aut moribus vetantur, illicita sint, assignare qui voluerit, experiendo discet, quam id sit difficile, imo præstari non possit, ut rectè Grotius *I. B. & P. L. II. c. 5. §. 12.* modo, dum matrimonia parentum & liberorum Jure Naturæ improba dixit, ipse hoc rectius perpendisset. Sane Societati humanæ per nuptias istas prohibitas nihil detrimenti adfertur, neque vel primarius vel secundarius conjugii finis per easdem ullo modo impeditur, &

causæ



causæ, propter quas DEUS ista matrimonia vetat, ex solis rationis dictaminibus cognosci vel solidè demonstrari non possunt. Naturam enim si respexerimus, ad sumum non nisi de inconvenientibus quibusdam in quorundam nuptiis constabit, unde tamen interdictum aliquod elici non potest. Et ratio, quod *ad reliquias carnis suæ nemo accedere*, hoc est, nemo cum ea persona, quæ vel sanguine vel affinitate ipsi proxima est, concumbere debeat, ultra rationis nostræ captum ponitur, hinc pro positiva seu voluntaria DEI habenda, licet necessaria. Constat etiam, teste Euride *in Andromacha*, apud Persas, Medos, Indos & Æthiopes cum matribus & aviis, cum filiabus & neptibus consuescere usitatum fuisse, licet à talium nuptiis cæteræ pleræque Gentes abstinerint, forte, quod ex Judæorum disciplina, ut alia multa, id aliquæ hauserunt, & ad alias deinceps atque alias traduxerunt. Adde Selden. *l. c. l. v. c. 2. p. 622. seqq.* Videns hæc difficultates Osiander ad h. l. Grotii, non quidem ad Jus Naturæ absolutum referre audet istas prohibitiones, putat tamen spectare ad Jus Nat. hypotheticum, modo ne cogatur admittere, quod sint à Jure Positivo universo Geni humano lato. *Ad. Thes. XIII, Obs. I.* Enimverò parum hac distinctione efficiet, dum etiam, quæ Juris Nat. hypothetici sunt, sic comparata esse debent, ut per rationes evidentes ex principio universalis deduci possint, id quod in hac causa fieri non posse manifestum est. Kulpisius *dari gradus Jure Nat. prohibitos satis certum esse ait, licet quo fundamento eorum turpitudine nitatur, aut quinam speciatim illi sint, non tam*

*tam sit expeditum. Colleg. Grotian. ad L. II. c. 5. Exerc. 4. n. 7. p. 47.* Idem fere dicit Ziegler *ad Gros. p. 276. 277.* cujus instantia de averfatione carnum humanarum planè inconveniens est, cum esus earum jure Naturæ nusquam prohibitus. Sed omninò nihil hisce dicit, dum, quorum prohibendi ratio in jure Naturali dari non potest, ea etiã eodem non sunt prohibita & per hoc quam maximè Naturalia Jura à voluntariis differunt, quippè quorum ratio dari subindè alia non potest, quam sic Legislatori placuisse. Rectius ergo illi, quos nobis consentientes habemus, Puffendorfius, Henniges, *Obs. ad h. l. p. 477.* Thomafius, *Instit. Jurispr. div. l. 2. c. 1. §. 120.* alii, qui liberè fatentur, ad Jus DEI voluntarium leges hæc potius referendas, quam ad Naturæ jus, cum in rationis dictaminibus nihil deprehendamus, quò turpitudine talium nuptiarum firmiter demonstrari queat. Ut autem adhuc evidentius constet, Nuptias certarum personarum diverfi sexus Jure Naturali non prohiberi, velimus & hoc in considerationem adduci, quod argumentum generale, quò Deus in concubitu cum propinquis interdicens *Lev. XIX. 6.* utitur, *quia scilicet sint reliquum carnis suæ*, rationem nostrã, si vel maximè illi id proponatur, non convincere possit. Statim enim parata erit excipiendo: atqui & Eva erat reliquum carnis Adami, item Uxores filiorum Adami, horum quippè Sorores, erant reliquum carnis eorum; Et tamen tantum abest, ut Deus illorum nuptias oderit, ut potius

R

ipse

ipse earum fuerit auctor, & ex conjugio fratrum atque sororum totum genus humanum propagatum voluerit. Unde tandem certò colligimus; non ad naturæ & rationis dictamina recurrendum esse, si interdicti hujus originem quærere velimus; sed ad solum jus DEI voluntarium. Cæterum non paucis, non solis fortè Judæis Jus istud latum, sed *Vniuersale* esse nunc quoque nobis probandum incumbit, cum alias hodiè libera ab eodem discedendi, vel dispensandi saltem in aliquibus gradibus (quæ Pontificiorum communis est sententia. (Vid Concil. Tridentin. *sess. VIII. c. 3. sess. XXIV. Cap. 3. Bellarmin. de Matrimon. L. I. c. 27.*) esset facultas. An statim initiò rerum de vitandis talibus conjugii omnibus DEUS orbis incolas admonuerit, nihil habemus certi; constitit tamen sine dubio *ex ordine primorum matrimoniorum à DEO institutorum, saltim non decere, ut inter Adscendentes & Descendentes matrimonia inceantur*, licet inter Collaterales promiscuè ea licita non potuerint non sibi persuadere. Talmudici in ipso mundi exordio Adamo sex concubitus interdictos volunt,

- 1) cum matre, 2) cum noverca, 3) cum uxore aliena, 4) cum sorore uterina, 5) cum masculino, 6) cum bestia,
- & ad hoc probandum adhibent illud ejusdem *Gen. II. 24. propterea deseret vir patrem suum* (i. e. patris uxorem seu novercam, ut scilicet cum ea non consuescat,) & *matrem suam* (i. e. non concumbet cum matre) & *adglutinabitur uxori suæ*, (non ergo alienæ, nec masculino) *atq; erunt duo in carnem unam* (quæ unitas cum in coitu cum bestiis tanquã carnibus plane diversis non existat, per hoc

cum

cum istis concubitus prohiberi) hoc singulare tandem de sorore uterina ante Legem in Levitico latam interdictum eliciunt ex Abrahæ historiâ , cujus exemplo, dum consanguineam thori sociam habuit, doceri posse, quod uterinam ducere non licuerit. *Gen. XX, 12.* Hæcque adeo universalis fuisse tradunt Ebræi, ut etiam Noachidis & omnibus Gentibus inculcata crediderint, quibus deinceps in Lege Mosaica tantum aliqua adhuc superaddita, Judæis, tanquam jus eorum quoddam civile, peculiariter observanda. Vid. Selden. *Jur. Nat. & Gent. juxta discipl. Ebr. L. V. c. 2. & de Vxor. Ebr. L. I. c. 1.* Verum ut ex his pleraque Talmudicorum somnia & affanas redolent, multa ipso Naturæ Jure prohibentur, *v. 19. 20. 21. 22. 23.* ita existimamus, quod sola Linea rectâ excepta (quippe in qua nuptias primæ DEI ordinationi adversas modo diximus) conjugiorum summa libertas cum ante tum post diluvium concessa fuerit, donec Lege Mosaica ista restringeretur, & certi termini ex divino jussu constituerentur? Quod si enim de Collateralium interdictis nuptiis æque constitisset, ac de Parentum & liberorum conjunctionibus, certè non Abrahamus consanguineam *Gen. XX, 12.* non Jacobus duas sorores *Gen. XXIX, 28.* non Amram, Moylis Pater, amitam suam *Exod. VI, 20.* (quamvis non amitam, sed *Patruelem* fuisse, ex Fontibus alii monstrare velint, ap. Havemann. *Gamiolog. L. II. tit. 5. p. 240.*) Uxores duxissent, de quibus omnibus notum est ita Deum timuisse, ut non sit incredibile, eos divinæ legi adversas ejusmodi nuptias fuisse contracturos. Sed undè tandem, quæsumus, pro-

bari potest, *Universales* fuisse istas Leges Positivas, non populo Judaico tantum proprias? Respondemus, non quidem ex ratione, quâ Grotius *l. c. §. 13. Dn. Thomafius l. c. b. 102. Havemannus l. c. §. 133. & alii* ferè communiter utuntur, quod nimirum, quia Ethnici se inquinaverunt delictis contra præcepta DEI, *Levit. XIX.* proposita commissis, & idè ejici & extirpari meruerunt, *comm. 24 seq.* quod inquam ex hisce colligi possit, jam Noachidis eas Leges connubiales fuisse à DEO publicatas, sicque universales factas. Ratio enim divinæ iræ vel respicit delicta proxime præcedentia *v. 19, 20. 21. 22. 23.* recensita, ipsi quippe Naturali Juri adversa, id quod verba relativa commatis *27.* luculenter ostendunt; *omnes istas abominaciones* (scilicet, illa, quæ in præcedentibus *v. 22. 23. 25.* abominacionum vel confusionum nomine veniunt) *fecerunt homines istius terra, quæ vobis exposita est; unde polluta est terra:* Vel, si hoc idè fortè displiceat, quia *Levit. XX, 22.* pœnæ divinæ statim interdictis de nuptiis propinquorū subjiciuntur (*Valand. Dissert. de Lege Connubii §. XII.*) respicit tantum commixtiones Parentum & liberorum, quas ex primâ matrimoniorum ordinatione DEO improbatas aliquoties diximus, & in N. T. etiam valdè exosas fuisse mox audiemus. Non igitur hoc argumento Universalitatem Legum harum evincemus, sed extat ipsa causa divinæ voluntatis in textu, quæ satis gravis, evidens & perpetua est. Prohibet DEUS, *ne quis ad reliquias carnis suæ* (*i. e. ad cognatas sibi vel Uxori personas; nam Ebræis est una cognatio una caro,*

& quis-

& quisque illius cognationis *residuum illius carnis*, sic exponente Drusio ap. Polum, *Bibl. Crit. ad. Genes. h. l. p. 129.*) *accedat ad denudandam nuditatem.* Ratio itaque, cur DEUS in certis gradibus nuptias vetet, hæc est, quia personæ prohibitæ sunt istius, qui quæve earum conjunctionem adpetit, vel per sanguinem natæ, vel per copulam factæ *reliquia carnis.* Repetit etiam DEUS in sequentibus, & urget aliquoties hanc rationem, v. gr. *v. 12. non deteges nuditatem amitæ tuæ, quia est reliquum patris tui v. 13: non deteges nuditatem materteræ tuæ, quia est reliquum matris tuæ.* Certa hæc est interdicti divini ratio, quam licet nos à priori demonstrare vel altius eruere nequeamus, sat valida tamen est, & vel sola divina voluntas nobis debet sufficere. Sanè non sine singulari divina providentia factum est; quod etiam jam apud plerosque Ethnicorum verecundia libidinem à propinquitate cohibuerit, etsi huic rei causa adsignari ita facilè non possit, sicut in hunc sensum loquitur Augustinus *de Civ. DEI. L. XV, c. 16.* Quoniam verò ratio Divinæ prohibitionis perpetua est, & in talium personarum conjunctionibus adhuc hodiè obtinet, indè certò concludimus, istâ prohibitione nos hodiernum obstringi, nisi divinæ voluntatis facta mutatio certis indiciis demonstrari possit. Accedit, quo magis adhuc confirmamur, quod satis longe post legem latam tempore Prophetæ de transgressionibus his aliquoties gravissimè conqueruntur, & eas in eandem classem cum delictis contra Jus Naturæ & alias LL. Positionis Divinæ Universalis admissis collocant.

*Ezech. XXII, 10. Amos. II, 7.* Ad quæ loca Havemanus: *quamvis Propheta Israelitarum & civium Hierosolymitanorum spissa peccata arguant primario, nihilominus istæ increpationes in suâ generalitate durant. Gænolog. l. c. p. 234.* Et rectè sanè, nisi quod Leges istas ad Jus Naturale non quidem formaliter & causaliter, sed subjektivè tale (atqui verò quid hoc monstri est?) retulit, dum de Jure Divino Positivo Universalis nihil ipsi constitit, facile alias nobiscum consensuro, id quod ex eò apparet, quando leges hasce non vult esse particulares, sed exempla Juris divini revelati. Nescivit itaque, quo se vertere debuerit. Tandem neque in N. Testamento Leges istas cessare debuisse, discimus inter alia ex eo, quod incestum Herodis cum fratria damnavit Johannes, *Matth. XIV, 3. Marc. VI, 18.* & Paulus tanquam atrocissimum scelus, & tale, quale ne quidem apud Ethnicos inaudiatur, accusat, quod aliquis ex Corinthiis novercam suam sibi conjugem fecerit. *1. Cor. V. 1.* Exempla hæc sunt nuptiarum in affinitate prohibitarum, unum ex latere *Levit. XIII, 16.* alterum ex lineâ recta, *v. 8.* unde facilis collectio, multo magis prohibitionem nuptiarum cum Consanguineis eadem Divina Legge adhuc apud nos perdurare, ac adeo rectè hanc Positivis Universalibus à nobis fuisse accensitam. Satis, ni fallimur, de LL. connubialium Universalitate egimus; quàm juxta cum reliquis argumentis, etiam gravissima ista Dei obtestatio: *ego sum Jehova*, eodem loco repetita arguere videtur, quippe qua Jus, immutabilem seriamque suam voluntatem, nec non pœnarum

cer-

certitudinem inculcare voluit. Dispiciendum quoque jam porrò de earundem *latitudine*, cum etiam, qui inter Christianos earum obligationem atque vim admittunt, non tamen de numero & sensu eorum per omnia conspirent. Occurrit igitur hic quæstio maximè ardua: *An prohibitiones istæ Levit. XIII. & XX. ad personas tantum expressè nominatas, an verò etiam ad illas, quæ in eodem gradu lineæ, de qua quæstio est, continentur; item an tantum ad gradus, quorum expressè fit mentio, an etiam ad posteriores pertineant?* Apud Judæos dissenserunt inter se Talmudici & Karæi, quorum illi ferè non nisi de personis & gradibus expressis Divinam Legem accipi voluerunt, hi verò argumentis usi à minore ad majus, nec non à potiori ad omnes eas personas, ubi eadem vel fortior, quam in expressis sit ratio, divinum interdictum pertinere docuerunt, ceu pluribus videre est apud Seldenum, *Vxor. Ebraic. L. I. c. 1. & 3. sqq.* Karæorum sine dubio & melior & tutior sententia, cum in Interpretatione LL. Divinarum in dubio rectè pro cynosura utamur illo notissimo rectæ rationis dictamine: *ubi est eadem ratio, ibi quoque est eadem Juris dispositio*, & ab eo non facilè recedendum, nisi ubi de contraria DEI voluntate manifestissimè liqueat. Sanè Divinus Legislato, dum Legem tulit, non schemata consanguinitatum & affinitatum integra voluit proponere, non Arbores (ut vulgò loquimur) pingere, non graduum doctrinam tanquam in Collegio Acadèmico inculcare, undè plane ineptè ab horum negatione ad negationem prohibitionis argumentum petitur. Vid.

Brück-



Brückner *l. c. c. VI.* sed, præmissâ prohibitionis causa generali ac fundamentali, eademque subinde repetita, ex omnibus cognationum generibus, & ut loquimur, lineis exempla recenset, unde facile deinceps fuerit, hominibus sanâ mente præditis, ubi necessaria consequentia id jubet, ad non expressa facere applicationem. Recepta etiam est hæc interpretandi ratio, & de ambitu LL. Div. Connubialium sententia apud plerosque nostratum tum Theologorum, tum Jctorum; Vid. Havemann. *b. c. L. II. T. 5. pos. 6. circa fin. sub Not. 2.* Carpzov. *Jurispr. Eccles. L. II. T. 5. Def. 76.* & ap. eos allegati, à quibus, dum Talmudicorum castra sequuntur, nonnulli recedentes promiscuè, quæ nominatim non sunt prohibita, conjugia admittunt, quemadmodum Pontificii Dd. aliique huius adhuc peiores, maximè in Collateralibus dispensari posse etiam circa quasdam personas à DEO disertè licet prohibitas satis audacter, ne quid durius dicamus, statuunt. Incumbamus ergò firmiter rationi, quam ipse DEUS indicat, missisque factis Rabbiorum aliorumque ficulneis conjecturis, quas ex Seldeno, Grotio & Pufendorfio repetit atque diluit Dn. Thomas. *l. c. L. III. c. 3. §. 108. seqq.* & pro stabili ponamus Principio, quod *omnes ea nuptia, quibus intra ambitum propinquitatum à DEO per exempla certaindicatarum vir vel femina ad reliquum carnis suæ i. e. ad suos vel conjugis (quippe ejusdem carnis) cognatos accedit, quod, inquam, omnes talium nuptia sint à DEO prohibita.* Nec quidquam movere possunt adversus hoc Principium objecta à Brücknero, *l. c. c. V. §. 40. seq.*

quæ

quæ adeo exigui momenti sunt, ut *n. 42.* improvidè eodem spiritu ipse ista diffuserit. Quæ a dverfus gradus *c. VI. n. 6.* quamvis parum stringentibus armis idem disputat, nos multo minus tangunt, dum illud non sentimus (nescimus an alii,) ac si eadem in omnibus lineis prohibitorum graduum debeat esse latitudo, quod sane admitti non potest, nisi etiam concedere velimus, DEUM ut in linea rectâ nuptias vetuit in infinitum, ita idè quoq; voluisse de omnibus obliquis. Ut res evadat manifestior, & quousque *Nuptiarum prohibitio* Jure Divino Posit. Universali sese extendat, apertissimè constet, juvabit argumentum per aliquot Regulas distinctius tractare. *I. Nuptia inter parentes & liberos prohibita sunt in infinitum.* Et procedit quidem Regula propriè de Consanguineis tam ex uno, quam utroque latere; per analogiam tamen etiam ad Affines rectè applicatur. Ratio est, quia nusquã hic concubitus fieri potest, quin accedamus ad reliquias carnis nostræ. Exempla varia, sed graduum propiorum, proponit Sacer Codex; nec tamen dubium est, quin idem juris sit in remotioribus, quod singulare habet hæc regula, quia nimirum non solum ubiq; manet eadem prohibitionis ratio; sed & id perpetuum est, quod sint Parentes & liberi etiam in longè distitis gradibus; ac denique, quo remotior gradus, eò major ob ætatem veneratio, quamvis hæc ratio tantum secundaria sit. Dissentiunt hic Covarruvias, qui *Tom. I. part. 2. c. 6. §. 6. n. 13.* prohibitionem in linea recta ultra vicessimum gradum extendi non debere contendit; porro Cajetanus & Sánchez, qui inter solos

Parentes & liberos primo gradu matrimonium illicitum & irritum dicunt. Ziegler. ad Grot. *L. II c. 5 §. 13.* nec minus Thomas Anglus, in *statera morum*, & Bellarminus, qui in linea recta ultra abaviam & abneptem nuptias non prohiberi affirmant: Sed nos potius illud Durandi paradoxon verum putamus: *Si Adam & Eva adhuc viverent, non haberent in posteris suis, quibus jungerentur*; Vid. Dn. Thomas. *l. c. L. III. c. 3. p. 516.* Et ne quidem est, cur de hac re valde solliciti simus, cum vix contingere possit, ut cupiant aliqui matrimonium inire in gradu quinto aut ulteriore in recta linea. Aut enim non inveniuntur homines vivi, aut sunt ita inæquales quoad ætatem, ut absurdissimum sit, eos inter se matrimonium velle contrahere. Illud adhuc quoad hanc lineam probè observandum est, quod prohibitio divina ad primum tantum affinitatis genus pertineat, non ad ulteriora. Dum enim DEUS vetat, *ne ad carnis nostra* (i. e. conjugis) *reliquias* i. e. consanguineos vel consanguineas proximos vel proximas accedamus, id non extendendum est etiam ad horum vel harum reliquias vel carnes. Fieret enim prorogatio ad aliud genus. *Es werden nicht mehr als dieschnige Persohnen einander verboten / da eine das Fleisch der andern Fleisches ist. Oder deutlicher / mir wird niemand weiter verboten / als mein Fleisch / und also meine Eltern und Vor-Eltern / Kinder und Nachkömmlinge und Geschwister / So dann derer selben Fleisch / entweder nach der Blutsfreundswaffe oder Schwägerschafft / nemlich derer Geschwister und Ehegatten. Was aber weiter gehet / und*  

*möchte*

möchte heißen *caro carnis carnis meæ*, und eine doppelte Ehe dazwischen kommet / wie das *secundum genus affinitatis* mit sich bringet / stecket nicht mehr in diesem allgemeynen Verbott Gottes durch Mosen / und kan also auch nicht von Gottes Seiten vor verbottem geachtet werden. B. D. Spener. *Theol. Bedencken* / Tom. II. c. 4. sect. 6. p. 523. Conf. B. Chemnitz. *LL. P. III. p. 215.* Kizel. *Synops. Matrimonial. c. III. Theor. 12. ad lit. f. g.* Thomas. *l. c. §. 213. seqq.* Reg. II. *Nuptia prohibita sunt in Linea Collaterali aequali tantum inter Fratres & Sorores, tam unilaterales, quam bilaterales, ut & inter Affines, qui iisdem respectibus se habent.* Ratio Divinæ prohibitionis est eadem, quæ in regula præcedente adducebatur, & prostant exempla varia in dd. cc. Levitici, à quibus ad ultiores, (quippe qui frater & sorores non sunt,) non procedit argumentatio. Quare, quod in specie ad Fratrum & Sororum liberos seu *Consobrinos*, attinet, cum nulla de ipsorum matrimoniis in S. Codice extet prohibitio, neque illa verita esse censemus. Quæ alias contra horum nuptias disputari solent ex varia lectione §. 4. *Instit. de Nuptiis*, & rationibus aliis, ad ea solide respondit Giphanius, *Explanat. Instit. ad h. t. p. . 47. seqq.* & omnium exactissimè eruditissimus vir Christoph. Riccius, *Vindic. Jur. c. III. p. 39. seqq.* De *Comprivignorum* matrimoniis quæstio hic occurrit sat vexata, num scilicet illa licita, uti quidem jura humana communiter ea admittunt, consentiente Consistoriorum Praxi, an verò Jure Divino improbata? Inter alios copiosè communem sententiam defendunt B. Gerhârdus, *Loc. de Conjug. §.*

357. *seqq.* Carpzov. *Jurispr. Ecclesiast. L. II. defn. 105.*  
 Brückner. *l. c. c. IX.* Sed dubiam illam primò reddidit  
 inter Christianos Interpretes (nam & jam apud Ebræos  
 idem sensisse Karæos docet Seldenus, *Vx. Ebr. L. I. c. 4.*  
*p. 19. c. 5. p. 22. t. 6. p. 27.*) Antonius Matthæus, Ictus  
 acutissimus, *Tract. de Fundamentis Juris, Disp. XII. §. 18.*  
*Negat, inquit, Lex DEI, Comprivignos matrimonium*  
*rectè contrahere, Levit. XIX, 11. Quod ego omnium*  
*primus observavi ex novis versionibus Tremellii, Junii, &*  
*quem jure nomino, Jo. Piscatoris.* Eamque postea opinio-  
 nem acriter propugnavit Samuel Bohlius, in *Tractatu*  
*contra matrimonium Comprivignorum, Rostochii 1637.*  
*edito, refutatus à Theologo Rostochiensi, Joach. Cotti-*  
*manno, in peculiari scripto, ibid. A. 1638. publicato.* His  
 adde Dn. Thomasius, *Instit. Jurpr. Div. L. III. c. 3. §.*  
*150. seqq. &*, quem ipse allegat, Elias Schnegas seu An-  
 tonius à Maria, *de Matrimonio Comprivignorum.* Pro-  
 vocant ad dictum *Levit. XIX. 11.* quod, rejectis com-  
 munitibus versionibus, cum Jun. & Tremellio de prohi-  
 bitis filio nuptiis cum *privigna ex noverca* accipi volunt,  
 non de nata suo patri ex noverca seu de consanguinea.  
 Extare enim in Fontibus vocem *Moledeth (qua peperit)*  
 activæ significationis ad novercam pertinens, non *Mu-*  
*ledeth, in Passivo (qua nata est)* quo sensu Interpretes  
 communiter ad sororem trahunt; Ut adè hic ex eo-  
 rum mente sit sensus: *Non deteges nuditatem privigne*  
*filia noverca, qua peperit vel ex quo peperit illa patri*  
*tuo, & per hoc scil. privigna illa facta est tua soror.*  
 Urgent porrò, quod si *Comma 11. secundum commu-*

nem

nem versionem accipere velimus, tautologiam committere oporteat, cum fratrum & sororum matrimonia jam v. 9. prohibita fuerint, verisimile autem non sit, in tam paucis lineis prohibitionem repeti. Verum tanti hæc esse non putamus, ut novæ sententiæ Patronis adsurgamus, libenter aliàs arrecturi aures, ubi quid rectius, quam quod vulgò traditur à quoquam proponi possit. Junium & Tremellium Ebraica per *Noverca* (hæc enim stylo Moysis per *Patris Vxorem* innuitur, *comm. preced. 8.*) *filiam* rectè exponere largimur; quod & alii faciunt. Vid. Polus, *S. C. ad h. l. f. 530.* Sed quod illa alia esse non debeat, quam privigna, quam noverca secum ex priorè matrimonio attulerat, ejus idoneam causam videmus nullam, nec putamus quidem, de illis consequentiis, quæ Bohlius & alii formant, indè unquam istos Interpretes cogitavisse. Quicquid sit de Ebraica voce *Moledeth*, activè an passivè significet, nihil tamen indè pro sua obtinebunt opinione, qui Comprivignorum nuptias impugnant. Junius certè & Tremellius pro *Nomine* habent, & *cognatam* interpretantur, quod quamvis cum Fontibus planè non conveniat, non tamen & illos quidquam juvat, qui Participium activum indè exsculpere desiderant. Et suspectam rem facit, quod, cum vox illa Ebraica in locis proximè præcedentibus denotet *prolem* vel *natam*, ea alium sensum in commate II. induere debeat. Esto autem ita, ut vult Bohlius, quæ, quæsumus, ratio est, cur de Privigna potius quam de Sorore

*consanguinea* Legem Divinam intelligamus? Et sane de hac loqui divinam prohibitionem existimamus, quemadmodum in commate nono germanorum cum germanis sororibus nuptiæ interdictæ videntur. Ordo quippe poscebat, ut de his ageretur primum, quare cum nullibi interdictum clarius inveniamus, nec tamen omitti potuit, non possumus non, quin in dicto commate illud quæramus. Nec offendere debet particula *o*, unde aliqui de *Consanguinea & Uterina* textum acceperunt; nam & aliis in locis, ubi dubio omni procul de Sororibus etiam germanis sermo est, eadem occurrat, *Lev. XX, 17. Deut. XXVII, 22.* Et, præter alios significatus, quos habet, conjungendi quoque vim ipsi tribuendam probant Sant. Pagninus, *Theaur. Ling. Sanct. Merceri, f. 39.* Glassius *Philol. S. L. III. v. 7. c. 8.* Plana hæc omnia esse arbitramur, & satis certum, de Compri-  
vignis prorsus textum non agere, nec eorum matrimonia ullo modo, sive adsit, sive non adsit communis foetus, lege divina prohiberi. Conf. Richter. *Vol. II. Conf. 462.* Carpz. *Jurispr. Eccles. L. II. Tit 6. Def. 105. & Vsu Arb. Conf. & Affin. Disp. I. c. 4. pos. 49.* Illustr. Stryckius, ad Brunnemanni *Jus Ecclesiast. L. II. c. 16. §. 23. p. 638.* ubi aliorum (intelligi Gothofredum Valandum, Professore Francofurtensē, patet ex hujus Dissertatione supra citatâ de *Sensu Legis Connubii Levit. XVIII, 11. §. III.*) aliam sententiam recenset, qui textum vexatum exponunt de nuptiis privigni cum novercæ filiâ, quam post matrimonium cum patre privigni initum ex alio marito suscepit, easque hoc Levitici textu prohibitas pu-

tat

rat Valandus §. *XXV. seqq.* Verum cum & hic rationem  
 idoneam adferat nullam, sed vim textui inferat, & illi  
 palliandæ modo ellipses adhibendas, modò in propriè vo-  
 ces aliquas accipiendas velit, nondum videmus necessi-  
 tatem aliquam, quæ & hujus novæ interpretationis  
 causâ à probatâ sententiâ recedere jubeat. Quod si à Con-  
 sanguineis ad *Affines* hujus Lineæ oculos convertamus, hic  
 occurrit quæstio de *Xoris sorore*, an mortuâ illâ hanc in-  
 thorum admittere liceat? Nota sunt exempla talium con-  
 jugiorum in Historia tam vetere quam recentiore, nota  
 etiam, quæ occasione matrimoniorum! Augusti Philippi,  
 Ducis Holsatiæ cum duabus sororibus, Clara & Sidonia,  
 Comitibus Delmenhorstensis; item Alberti Er-  
 nesti, Principis Oettingensis primum cum Christi-  
 na Friderica, & hac mortua cum Sorore, Eberhardina  
 Catharina, Principibus Württembergicis contracti à The-  
 ologis & JCrus utrinque scripta in publicum prodierint,  
 ubi pro matrimonio *priorum* imprimis stetit Christoph.  
 Joach. Bucholtz, JCrus Rinthelensis; adversus id verò  
 cum Bucholtzio contendere Mich. Havemannus, Su-  
 peritendens Ducatum Bremensis & Verdenfis, & Æ-  
 gid. Strauchius, Theologus Wittebergensis, in variis  
 scriptis, quæ publice extant. Occasione matrimonii  
 Oettingensis hæc passim rogata, & alia addita, dum pro  
 eo matrimonio respondit Melchior Zeidler, Theologus  
 Regiomontanus, improbavit verò contrahendum de eo  
 rogatus B. D. Spenerus, sed contractum non dissolven-  
 dum suavit, *Theolog. Bedencken Tom. II. Sect. . p. 527.*  
*seqq.* Edita sunt conjunctim hoc in negotio ventilata

Oettingæ,



Oettingæ, titulo: *Unterschiedne Streitschriften, Responsa und Gutachten über die Frag: ob Gott verboten oder zugelassen habe / daß einer seines verstorbenen Weibes Schwester heurathen könnte?* Quid, eodem commate, per *natham Domi & natam foris* seu in platea velit divina Lex, non putamus multa disquisitione egere, cum regulæ interpretationis planissimè monstrant, de Sororibus germanis sine discrimine, in matrimonio, an extra matrimonium genitæ sint, i. e. tam de naturalibus, quam legitimis interdictum divinum debere accipi. Fr. Vatablus, *Annot. ad h. t. p. 259.* Si quis etiam sic accipere hæc verba velit, ac si pertinuerint ad Poselytos, non admodum refragabimur, quamvis neminem, quod sciamus, in hac opinione habeamus præeuntem. Constat enim ex R. Maimonde & aliunde, persuasos fuisse veteres Judæos, & si inter illos, qui in Judaismum recepti, omnis naturalis cognatio evanuerit, nullusque talium fratrum etiam atque fororum nuptiis incestus obstiterit, dum per novam istam regenerationem omnis cognatio sanguinis & naturæ tolleretur, Selden. *Jur. Nat. L. V. c. 18. p. 664. seqq.* Quod cum non potuerit non DEO displicere, non ab re esse putavimus, si per sororem foris natam intelligamus eam, quæ, ex falsa persuasione, Proselyto conjux esse ante Legem permittebatur. Et hæc quidem quoad Comma nonum de Sororibus *ἀυτοπατριῶν*, seu ex utroque latere talibus. Necessarium erat, nunc etiam de *Unilateralibus*, Consanguineis scilicet & Uterinis præcipere, nisi horum conjugia licita credere pebeamus, quod tamen propter rationem interdicti generalis

tat Valandus §. XXV. *seqq.* Verum cum & hic ratio-  
 nem idoneam adferat nullam, sed vim textui inferat,  
 & illi palliandæ modo ellipses adhibendas, modò im-  
 propriè voces aliquas accipiendas velit, nondum vi-  
 demus necessitatem aliquam, quæ & hujus novæ in-  
 terpretationis causâ à probatâ sententiâ recedere jubeat.  
 Quid, eodem commate, per *natam Domi & natam foris*  
 seu in plâtea velit divina Lex, non putamus multa dis-  
 quisitione egere, cum regulæ interpretationis planissimè  
 monstrent, de Sororibus germanis sine discrimine, in  
 matrimonio, an extra matrimonium genitæ sint, i. e. tam  
 de naturalibus, quam legitimis interdictum divinum de-  
 bere accipi. Fr. Vatablus, *Annot. adh. t. p. 259.* Si quis  
 etiam sic accipere hæc verba velit, ac si pertinuerint ad  
 Profelytos, non admodum refragabimur, quamvis nemi-  
 nem, quod sciamus, in hac opinione habeamus præeun-  
 tem. Constat enim ex R. Maimonde & aliunde, persua-  
 sos fuisse veteres Judæos, ac si inter illos, qui in Judaif-  
 mum recepti, omnis naturalis cognatio evanuerit, nul-  
 lusque talium fratrum etiam atque sororum nuptiis ince-  
 stus obstiterit, dum per novam istam regenerationem  
 omnis cognatio sanguinis & naturæ tolleretur, Selden.  
*Jur. Nat. L. V. c. 18. p. 664. seqq.* Quod cum non po-  
 tuerit non DEO displicere, non ab re esse putamus, si  
 per sororem foris natam intelligamus eam, quæ, ex falsa  
 persuasione, Profelyto conjux esse ante Legem permit-  
 tebatur. Et hæc quidem quoad Comma nonum de So-  
 roribus *ἀδελφῶν καὶ θυγατρῶν*, seu ex utroque latere talibus. Ne-  
 cessarium erat, nunc etiam de *Unilateralibus*, Consan-

T

guine.

guineis scilicet & Uterinis præcipere , nisi horum conjugia licita credere debeamus , quod tamen propter rationem interdicti Divini generalem nullò modò fieri potuit. Igitur de hisce accipiendum *comma undecimum : nuditatem filie uxoris Patris tui, soror tua ipsa: non revelabis turpitudinem ejus.* Hic uti per *Uxorem patris* intelligi novercam nemo fortè negaverit, ita de consanguinea seu ὁμοιοπατρία non ducentes manifesta, nisi si quis nodum in scirpo quære voluerit. Cur autem hujus folius, & non æque uterinae Divinus LLator fecerit mentionem, ejus vel ratio hæc fuit, quod Judæi jam inde ab initio rerum, ac veluti Naturali Jure, concubitu cum uterina seu ὁμοιομητρία sibi æque severe interdictum crediderunt, ac cum masculo vel bestia, & adeò ab eo ultro abhorruerunt, Selden. *Jur. Nat. Ebr. L. V. c. 1. §. 2. p. 564.* vel, quæ ratio fortè magis stringit, quia unò ex emplò propositò sufficere censuit Deus, ut inde judicare possint homines, quid in eodem gradu de personis reliquis & diversi sexus velit, quemadmodum id etiam alibi factum. Quod si à Consanguineis ad *Affines* hujus lineæ oculos convertamus, hic occurrit quæstio de *Uxoris sorore*, an mortuà illà hanc in thorum admittere liceat? Nota sunt exempla talium conjugiorum in Historia tam vetere quam recentiore, nota etiam, quæ occasione matrimoniorum Augusti Philippi, Ducis Holstatæ cum duabus sororibus, Clara & Sidonia, Comitibus Delmenhorstensis; item Alberti Ernesti, Principis Oettingensis primum cum Christina Friederica, & hac mortua cum Sorore, Eberhardina Ca-

thari-

thatina, Principibus Würtembergicis contracti à Theologis & Jctis utrinque scripta in publicum prodierint, ubi pro matrimonio *priorum* in primis stetit Christoph. Joach. Bucholtz, Jctus Rinthelensis; adversus id verò cum Bucholtzio contendere Mich. Havemannus, Superintendentens Ducatum Bremensis & Verdensis, & Ægid. Strauchius, Theologus Wittebergenfis, in variis scriptis, quæ publice extant. Occasione matrimonii Ottingensis hæc passim recocta, & alia addita, dum pro eo matrimonio respondit Melchior Zeidler, Theologus Regiomontanus, improbavit verò contrahendum de eo rogatus B. D. Spenerus, sed contractum non dissolvendum suavit, *Theolog. Bedencken Tom. II. Sect. 7. p. 527. seqq.* Edita sunt conjunctim hoc in negotio ventilata Ottingæ titulo: **Unterschiedene Streitschriften/ Responfa und Gutachten über die Frag: ob Gott verboten oder zugelassen habe/ daß einer seines verstorbenen Weibes Schwester heirathen könnte?** Rationes, quæ utrinque proferuntur, nunc prolixius non ventilabimus, cum controversia sit notior, quam cæteræ, & scripta in omnium manibus. Ut paucis nos expediamus, non possumus non & hæc nuptias divinæ prohibitioni adversas habere, quia I) iis obstat ratio generalis, & *Vxor is soror est caro carnis mariti.* II.) Quia *Lev. XIX, 16.* vetita fratria: undè concludimus, sicut fœminæ prohibitum est matrimonium cum mariti fratre, ita vicissim masculo cum Uxor is sorore. Est idem gradus, est quoque eadem ratio. Neque quicquam in recessu habet illa, quam aliqui ostendere volunt, diversitas. Dicunt, in casu *commatis 16.* idè illicita esse matrimonia, quia singularis & Deo

invisa sit turpitudine , quando duorum fratrum semina in eundēuterum effundantur , quod non fit in priore casu , ubi unus mas rem habet cum duabus sororibus. Bruckner. *l. c. c. IIX. §. 9.* Sed fingitur hæc turpitudine , non est , quia alias Lege Mosaica talia matrimonia planè non potuissent à DEO permitti. His positus , necessariò etiam III) *comma 18. d. C. Levitici* sic explicandum est , ut prohibitionem hujus conjugii in se contineat. Et facile id quidè potest , si modò Leges hermenevticæ ritè observentur , quæ volunt , ut , sicubi locus occurrit obscurior , ex apertis & liquidis is lucem accipere debeat. Cum igitur DEUS à se ipso dissentire non potuerit , idcirco in commate dicto nuptiæ cum Uxoris Sorore itidem prohibitiæ intelliguntur. Vetat enim DEUS , *ne sororem ad uxorem quis adducat , ad revelandum nuditatem ejus super eam in vitis ejus.* Addit rationem aliquam secundariam , cum primariam subaudit , ne scilicet per hoc *affligas uxorem* , quæ non poterit non propter hocce tum flagitium graviter indolescere. Qui ex his probare conantur , licere priore extinctà cum altera concumbere , præsidium omne quærunt in verbis ultimis *in vitis ejus* , & sic argumentantur : Si non licet uxoris sororem habere in matrimonio , dum illa vivit , sequitur , quod habere liceat post illius mortem. Vid. Brückner. *c. IIX. §. 3. 4.* Enimverò , si non alia esset responsio , negare possemus consequentiam , quia plane non sequitur , Legislatorem , si quid prohibet , & prohibitionem fortè restringit ad certum aliquod tempus , alio tempore rem prohibitam velle haberi pro licitâ ,

citâ, v. gr. Si Leges vetant, ne subditi crapulæ indulgeant, & restringatur id in mandato ad diem Sabbati, sanè non sequetur inde, licitum esse inebriari cæteris diebus, die dominica præterlapsa. Sed ne quidè opus est, ut sic respondeamus. Si enim ultima illa verba penitius consideremus, non ad uxorem, sed ad sororem potius uxoris referenda videntur, & Divinæ Prohibitionis illa mens est: dum vivit Soror Uxoris, maritū de eâ ducenda ne cogitare debere; *Er soll sich nicht gelüsten lassen / der Frauen Schwester* NB. in vitis (ihr Vebelang jemals) zu heyrathen. Hæc expositio divinæ intentioni & conveniens est, & emphaticè singulari continet, & omnia dubia tollit, quæ alias verbis his aliter intellectis vix sufficienter possunt eliminari. *Regula III.) In Linea Collaterali in aquali nuptia prohibita sunt cum Parentum fratribus & sororibus, tam ex uno, quam utroque latere, eorumq; conjugibus in infinitum & reciprocè cum fratrum sororumq; liberis atq; horum conjugibus in infinitum.* Ratio reciprocationis inde manifestè probatur, quia, ut ego me habeo ad Parentū fratres & sorores eorumque Conjuges, ita illi scilicet fratres sororesque se vicissim ad me meamque conjugem habent. Exempla personarum extant *Levit. XII, 12. 13. 14.* à quibus specialiter expressis ad non expressas in eodem & aliis gradibus valere consequentiam, ubi est identitas rationis, sine hæsitacione pronunciamus; & ideo pro interdictis habemus nuptias cum avunculo & matertera: cum avunculi vidua, cum amitæ & materteræ marito; cum nepotum ex fratre vel sorore conjugibus, cum foceri vel soerus fratre & sorore; cum liberis ex conjugum fratribus & sororibus &c. quæ exempla omnia procedunt ex con-

versione eorum, quæ sapientissimus Legislator, paucis  
 multa dicens, proposuit. *Fundamentum Prohibitionis*  
 est iterum ratio illa à Deo significata generalis; nam Pa-  
 rentum nostrorum fratres & sorores sunt *carnis nostræ re-*  
*liquia*, sicut vice versa Fratrum nostrorum sororumque  
 liberi itidem tales *reliquia nostræ carnis* sunt. Unde pa-  
 tet causa, cur & conjuges in casibus ad regulam spectan-  
 tibus sub prohibitione comprehendantur; quia nimi-  
 rum, fictione Juris divini propter unitatem per nuptias,  
 sunt portiones nostræ, & ad eò quod uni conjugū non licet  
 propter consanguinitatem, id nec alteri licet propter  
 affinitatem. Nec est, ut nobis fortè persuadeamus,  
 tales esse potius *reliquias carnis nostræ carnis*, ut v. gr.  
 uxor patruus est portio fratris patris mei; usque quò divi-  
 na interdicta non extendi debere modò statuimus.  
 Nam revera in hoc & similibus exemplis apparent reli-  
 quia tantum carnis nostræ, non carnis nostræ carnis;  
 quia patruus est patriæ carnis caro, & eadem per nupti-  
 as ejus uxor; sic inverso ordine, fratris mei filius est ca-  
 ro carnis meæ, & uxor illius ejusdem conditionis; & ita  
 in reliquis. Breviter, ut aliqua persona dici possit *re-*  
*liquium carnis carnis nostræ*, necessarium est, ut ea sit in  
 secundo affinitatis genere, uti v. gr. in casu supra pro-  
 posito privigni vidua respectu vitrici, item vitrici vidua  
 respectu privigni. Vid. Dn. Thomasiū l. c. L. III. c. 3. §.  
 214. seqq. Quod autem *in infinitum* tales nuptias prohi-  
 bitas dicimus, id est ex convenientia, quæ inter hanc &  
 rectam lineam intercedit; ubi etiam conjugia in infini-  
 tum prohibebantur. Namque ut *parentes* nobis sunt  
 & dicun-

& dicuntur non primi solum sed & ulteriorum graduum, & eodem modo se res habet cum *liberis*, inter hæc autem personas prohibitio se extendit in infinitum, ita quoque quam latè inveniuntur *Parentum* fratres & sorores, item *liberi* fratrum & sororum, tam latè etiam divina prohibitio porrigitur, præsertim cum Parentum istos collaterales nos meritò ex causis non unis ut *Parentes ipsos*, & illi hos vicissim ut *suos liberos* respiciant. Unde vulgo sic effertur hæc Regula: *Quæcumque Persona sibi invicem sunt parentum & liberorum loco, inter eas nuptiæ sunt prohibitiæ in infinitum.* Ratio itaque cum omnibus suis momentis prohibitionis hæc est, quod personæ huc spectantes sunt reliquæ carnis nostræ, & quidem tales, quæ *per analogiam* vel nobis *parentes* existunt, parentum quippè nostrorum sub eodem stipite communi carnes immediate proximæ, vel sunt nobis *liberi*, carnis quippè nostræ & sub eodem stipite communi immediate proximæ, reliquæ. Undè simul apparet discrimen rectæ & hujus lineæ, patetque causa evidens, quare cum in illa linea ultra personas expressas non sit extensum divinum interdictum, in hac tamen illud omnino extendendum veniat. Novimus ab hac sententia quam plurimos tam Theologos quam JCos, imò integra Collegia discedere, & prohibitionem in hæc linea non nisi de personis expressis admittere velle, de quibus Brücknerus passim, in primis *c.V. p. 288. seqq. c. VI. p. 318. seq. c. X. p. 400. seqq.* Conf. Dn. Stryck. *Not. ad Brunnem. Jur. Ecclesiast. L. II. c. 16. p. 615. seqq.* Dissentientium rationes examinare nunc non vacat.

res



res tamen cum modo dictæ erroneæ hypothefi innitantur, ac si DEus tantum 'de personis' nominatis disposuerit, non fuerit arduum ex solidioribus nostris principiis & genuino divinorum verborum sensu istas subvertete. Miramur sane, cur nimium faciles sint aliquando in dilatandis limitibus nuptiarum Doctores, cum conjugiorum occasiones non facilè deficiant, & in dubiis (qualia hic dari non negare possunt dissentientes, si utique prohibitionem divinam agnoscere nolunt) semper sit tutius, conscientix etiam melius consulatur, si à talibus conjugis absteineatur, quàm si ea cum formidine divinæ prohibitionis ineantur.

§. XIV.

Satis diu argumentum Legis hujus nos detinuit, videbimus paucis, quid aliis de eo videatur. Qui itaque *Positivas Universales* hæc *Leges* agnoscere nolunt, eorum aliqui prius negant, aliqui posterius. Nam quod ad *Lineam rectam* attinet, communis est sententia, saltim in hæc nuptias *ipso Naturali Jure* interdictas esse, idque ut probet, Grotius maximè operosus est, *l. c. l. II. c. 5. §. 12.* cujus etiam rationes adducemus. Dicit igitur (I) in ipsis affectibus humanis insitam esse *fugam* quandam commixtionis cum parentibus, & ex se natis, unde etiam animantia quædam illam naturaliter abhorreant. Vid. & Huberum *de Jure Civit. Lib. II. Sect. I. cap. 3. §. 46.* Ex isto igitur horrore colligendum esse, commixtionem hanc Juri Naturali repugnare. (II.) Filium, ait, mari-

maritum, qui superior est lege matrimonii, eam *reverentiam* non posse præstare matri, quam natura exigit, nec patri filiam; quia quanquam inferior est in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducere societatem, quæ illius necessitudinis reverentiam excludat. Grot. l. c. n. 2. Zepper. de Legibus Mosaicis forensibus, Lib. IV. c. 10. p. 500. sq. Alberti, Compend. I. N. P. II. c. 10. §. 11. (III.) Propter *pudorem* naturalem, inquit, matrimonium inter parentes & liberos consistere non posse; quo argumento usus jam est Paulus Jctus, dum L. 14. §. 2. ff. de Ritunupt: inquit, *Naturale jus & pudor in contrahendis matrimoniis inspiciendus est; contra pudorem est autem filiam suam uxorem ducere.* Sed non desunt, quæ hisce argumentis reponi possint. Quod enim ad nauseam seu abhorrentiam humanorum affectuum attinet, jam monuit Pufendorfius l. c. §. 28. *apud omnes mortales aequaliter eam non deprehendi, & si apud nonnullas gentes reperiat, ipsam non tam ex congenito principio, quam ex diuturnis moribus, qui natura indolem mentiantur, provenire.* Neque circa *Jus Naturale* eruendum tutum esse sensuum atque affectuum judicium consulere; cum ex adverso concludi posset; illa quoque *Naturali Jure* præcipi, in qua sensus & affectus acerrime feruntur, quorum tamen pleraque isti jura adversantur. Et sanè videmus quotidè, à rebus quibusdam homines præjudiciis occupatos communiter abhorre, quæ tamen alii ab ejusmodi præconceptis opinionibus liberi planè non averfantur. Exempli loco esse possunt vel soli serpentes, quos cum

U

venena-

venenatæ naturæ esse persuadeamur, accedente narratione de Diaboli in serpentē metamorphosi, tantoperè odimus, ut vel ad conspectum eorum expavescamus, cum alii contra, qui non nisi irritatos morsu nocere sciunt, in sinu eos foveant, & ut pueri crepundia tractent. Conf. Henniges ad *h. l. Grot. p. 477.* Reverentia quoque parentibus debita sufficiens causa prohibitarum in linea recta nuptiarum esse vix potest. Nam non solum reverentiâ istam parentes liberis adultioribus remittere possunt, sed & falsum est, honestam familiaritatem cum reverentia simul stare non posse. Quare Filia si patri nupsit, cum obsequio etiam filialem reverentiam patri marito exhibere potest: in altero autem casu, ubi filius cum matre matrimonium contraxerit, si utique mater ob reverentiam quid potestatis prætenderet, etiam filius imperium & regimen domesticum matri concedere potest, cum ex lumine rationis non constare, quod marito in uxorem imperium competat, jam in *præced. §. IX. & X.* dederimus probatum. Et quid dicemus de Regina subdito nubente, quod facere utique Naturali lege ista prohiberetur, præsertim ubi præter lecti jura nihil quicquam marito concedit, si matrimonium efficeret, ut reverentiam conjux alteri conjugii præstare satis non possit. Vid. pluribus Thomas. *l. c. L. III. c. II. §. 231. sq.* Tandem quoad *pudorem* illi ipsi, qui hoc argumento ad probandam naturalem harum conjunctionum turpitudinem utuntur, nondum satis explicare possunt, quid per illum intelligi velint, & in quo ratio hujus pudoris consistat. Vid. Velthuysen, *de pudore, p. 16. de incestu p. 30. seqq.* Duplicem ipsi causam assignat Pufendor-

fius

fus *d. l. §. 31.* quarum prima desumpta à sordidis membro-  
 rum genitalium quibusdam functionibus , humanæ am-  
 bitioni velut adversantibus ne quidem sufficiens est ad  
 probandum, quod ideò debeant abscondi, cum istæ ope-  
 rationes sint necessariæ, & sordities, si quam habent, per  
 nobilissimum illum, quem in producendo homine præ-  
 stant, usum velut aboleatur, undè potius prærogativa  
 aliqua præ cæteris multis ipsis tribuenda videatur. Alte-  
 ra Pufendorfi ratio fortior quidem est ; sed cum nihil  
 faciat ad prohibenda inter Parentes & liberos conjugia,  
 indè hætenus pudor omninò commentum est. Alias  
 pudor ex eo oritur, si sentimus, esse aliquid vel hone-  
 stati vel decoro adversum : prioris ut causa perpetua,  
 ita posterioris inconstans & mutabilis est. Igitur cum  
 turpitude naturalis in hoc actu probari nulla possit, &  
 quæ à decori solum læsione nascitur, variet ; relinqui-  
 tur, nullo pudore vere impediri Parentum & libe-  
 rorum conjugia. Videantur Thomas. §. 240. seq. Hu-  
 berus *d. l. §. 44. 45.* Plura ab aliis ad ostendendum Ju-  
 ris Naturæ dissensum proferuntur argumenta. Socrates  
 ex disparitate ætatis ; Plutarchus ex necessitate latius  
 spargendarum amicitiarum ( cui conspirant Augustinus  
*L. XV. de Civ. Dei, c. 19.* Oslander *Obs. XII. ad Grot. h. l.*  
*p. 767.* & Rich. Cumberland. *de Lege Nat. c. IIX. §. 9*) D.  
 Alberti ex communiione sanguinis *l. c.* alii ex confu-  
 sione vocabulorum necessitudinis, alii denique ex bru-  
 torum animalium à tali coitu abstinentium exemplis con-  
 junctionum earum improbitatem docere satagunt. Ve-  
 rum hæc omnia vel planè non concludunt, vel quid

U 2

suade-

suadeat Jus Naturæ , non quid præcipiat veterve monstrant , vel falsa & fabulosa pro certis supponunt , & ut paucis dicamus , sic comparata sunt , ut ipsi eorum autores non multum ipsis tribuant , aut pro Topicis tantum habeant , non pro apodicticis. Dn. Titius argumentis ad speciem ponderosioribus , ut in genere propinquorum , ita vel maximè eorum , qui in recta linea constituti sunt , nuptias impugnat. Dicit (1) inter personas *Levit. XIX.* prohibitas esse unitatem aliquam ; Jam vero Naturæ repugnare , ut quis secum ipso velut coëat (2) A natura sociali abhorrere , ut cognatio vix incepta in sua statim redeat initia , cum indolivitæ socialis magis conveniat , ut illa latius spargatur. (3) Admissa hac concumbendi licentia adulteriis & stupris ansam præberi ; Denique (4) nullum legitimum finem horum matrimoniorum nominari posse. *Ad Offic. Puf. Obs. 496. §. 3.* At vero non ita firma & hæc videntur , ut plenè convincant , & scrupulos eximant , quos expromere nunc liceat. Quoad (1) *unitas* ista est à fictione Divini LLatoris , de quâ rationi per se non constat ; & si utique in verbo revelato eam invenerit , promta etiam erit instantiis , de quibus supra *p. 129.* Unde necessario sequeretur : DEUM tales coitiones ordinando Legi Naturæ quid adversum egisse , præsertim cum hoc loquendi modo , Adam multo magis cum se ipso coiërit , quam deinceps omnes alii homines. Ad (2) eadem culpa redundatura esset in Deum , si tantum scelus esset , & naturæ sociali repugnaret , cognationes per affinitates latius non spargere. (3) Hæc quoque Ebræorum quorundam ratio fuit,

fuit, ut videre est ap. Grotium *l. c. §. 13.* Sed non concludere videtur, dum si hæc valere debet ratio, omnium quoque domesticorum & inquilinorum nuptiarum tanquam Naturali Jure prohibita habendæ; Conf. Brückner *l. c. c. 5. §. 42.* (4) Finis idem, qui reliquarum nuptiarum; imò verò comoda & emolumenta multa talium nuptiarum, quæ præ cæteris afferant, faciliè recenseri possent, ut taceamus, duplex vinculum fortius ligare. Cæterum nec nos negamus, pro circumstantiarum ratione Jus quoque Naturæ ejusmodi nuptias aliquando dissuadere posse, tamen non adpareat, illas eodem simpliciter esse prohibitas. Quod ad *Lineam Transversam* attinet, è Veteribus multos fuisse persuasos, quod & hic aliquarum personarum, Fratrum maximè & Sororum nuptias idem J. N. prohibeat, in vulgus notum est; sed cum variis distinctionibus nihil in recessu habentibus causam stabiliendò ejusdem lubricitatem ipsi prodant, nolimus vel in iis audiendis vel confutandis tempus infumere. Error est ab ignorantia Juris Naturæ, qui veteribus quodammodo condonandus, sed hodie vix ferendus, ubi, dum disciplina Divini Juris egregiè excolitur, labra tamen lactucis tantum obsoletis & agrestibus adsueta aliquando ab eo sibi satis non cavent. Sanè Lex Naturalis immutabilis est; DEUS autem ipse dum initiò non nisi unum par conjugum creavit, per hoc liberis Adami & Evæ, fratribus & sororibus necessitatem invicem concumbendi imposuit, unde, si incestæ hæc essent nuptiæ, sequeretur DEUM incestus esse Autorem, & nos omnes ex damnato ure Naturæ coitu originem traxisse, quod tamen sine J blasphemiam in DEUM, & maxima injuria in totum genus humanum statui non potest. Vid. Brück-

ner, *l. c. c. V. §. 7. seqq.* Itaque quod hic non procedit, multò minus locum habebit in Consanguineis remotioribus; minimè omnium in Affinitatibus, ubi cognatio non à sanguine est, sed à Legislatoris fictione atque voluntate, sanctissimè tamen nobis deveneranda. Mittimus Dissidentibus ad *l. fin. ff. de pit. nupt.* ubi *incestus jure Gentium i. e.* Naturali talis ad solos *Adscendentes & descendentes* restringitur. Gravissimum, quod aliàs urgenti, est illud: *Deum propter transgressiones LL. Connubialium Ethnicos radicitus extirpavisse, Lev. XIX, 24. seqq.* undè indubitatò liqueat, peccata eorum ipsis Naturæ LL. fuisse contraria. Sed cum ad hoc jam supra *p. 131.* responsum fuerit, non opus est nunc plura addere. Scilicet hæc in terminis habilibus accipienda esse, non generaliter de omnibus ibi propositis casibus, vel ex eo patescit, quod eodem tempore Jacob Patriarcha duas Sorores, Amram Moysis pater amitam suam Jobedam, alii forte similes in Levitico prohibitas personas duxerint, nunquam certè id facturi, ubi scelus ipsi Naturæ Juri adversum, & excidio dignum per hoc committi perspexerint. Grot. *l. c. §. 14.* & in *Annot. ad Lev. XIX, 24.* Pufend. *L. VI. c. 1. §. 45.* Bruckner. *l. c. c. V. §. 45.* Neque verò est, ut hic excipiat, *prohibitiones non pertinere ad casum necessitatis,* & per consequens, primorum illorum conjugia J. N. fuisse excepta & licita. Vid. D. Titium *l. c.* Respondemus enim, casum necessitatis frustra fingi, quia (1.) prima matrimonia à libero & sapienti DEI consilio, non à necessitate aliquâ provenerunt. DEUS eadem facilitate, quâ unum par Conjugum creavit, plura etiam, vel saltem duo paria creare, & hoc ipso conjunctionem Fratrum

Fratrum & Sororū evitare potuisset (2.) Quia sequeretur, DEUM, antequam Lex hæc Naturæ obtinuit, necessitatem suo facto directò hominibus imposuisse, ut contra Legem agerent, & sic contra Jus Naturæ dispensavisse; quod tamen dici nequit. (3) Necessitas omnis est vel à casu, vel à malitia hominum. Conf. Brückner. *l. c. c. V. §. 29.* Dn Auctor Observationis sæpius allegatæ §. XLIX. seqq. mutata, quã olim habuit, mente *Connubia Parentum & Liberosum* Juri Naturali adversa censere videtur. Sed rationes ejus apparent valde debiles. *Ex libidine solâ necessario procedere* dicit, non probat. Aliqua *ætasum diversitas* non vitiosa reddit connubia. *Familiaritatem conjugalem non tollere reverentiam* ipse Dn. Thomasius prioristicus in hoc argumento alibi adversus Grotium egregie monstravit. *Petularum cum juvenculis* nuptias Naturali & Juri & affectui repugnare lubenter concedimus, non item *virorum senum* eum fœminis juvenis; idem judicium erit quoad ætatis disparitatem, de conjunctionibus personarum in Lineâ Rectâ. Et esto, ex *imprudentiâ* hic aliquando peccari; nec tamen id perpetuum, nec inde matrimonia damnantur à Jure Naturæ. Pergit Dn. Auctor Observationis ad Conjugia *in limite Transverso, & omnium reliquarum personarum tantum contra Legem Mosaicam, non universaliter prohibita dicit, quia abstrahendo à multis circumstantiis particularibus, quæ non sint communes toti humano generi 1.) in conjugiiis ejusmodi nulla turpitudō naturalis adsit; inde etiam 2.) Viri Sancti ante Legum Mosaicam talia matrimonia habuerint. Ast contrarium in præcedentibus nos adhuc, nisi fallimur, satis dedimus probatum.* Ratio *prima* efficit, eas nuptias non adver-



adversari Legi Naturæ, quod certum. Altera probat, ante Legem Mosaicam universale aliquod DEI interdictum nondum fuisse publicatum. Quid cum Brücknero facere debeamus, vix liquet; dum si ullibi, sane hoc in argumento apertum fecit, se discrimen inter Jus Naturæ & Dei Positivum Universale, quod tamen impugnandum sibi sumit, & utriusque indolem ne quidem sufficienter intellexisse. Summa dictorum illius huc redit: *Inter Consanguineos adscendentes & Descendentes, & per analogiam etiam Affines ejusdem Generis Jure Naturali nuptias vetitas; de quibus Levitici c. XII. & XX. solo Jure Positivo particulari reliquos prohiberi. l. c. c. V. §. 4. seqq.* Neutrum probat; sed tantum circa posterius monet, quod, si conjugia fratrum & sororum sint vetita Jure Dei Universali, DEUS non potuerit liberis Protoplasmorum necessitatem conjugii imponere. §. 16. Apparet inde, quod Legem Positivam Dei Universalem à tempore sic dici putaverit, cum tamen non sit necessarium, Legem Universalem aliquam statim initio mundi conditam fuisse, quemadmodum vidimus in superioribus. Falsus est etiam in eo; dum putat; circa Legem Positivam Universalem DEUM non posse dispensare; scilicet, quia Jus Positivum cum Naturali confundit §. 25. seqq. Quando §. 15. persuadere vult Brücknerus, DEUM *Levit. XII. v. 4. 5.* per *Mischpatim* præcepta moralia & naturalia, per *Chakoth* judiciai. e. forenses & particulares leges, innuere, & per consequens matrimonia vel per Naturæ vel per positionis divinæ particularis jus interdicti, in eò quam maximè fallitur. Nam neque voces istas Ebraicas eò semper sensu accipi, quem dicit

dicit, discere potuisset vel ex locis, quæ pro parallelis ipse allegat, *Proem. n. 25. p. 10.* Neque si & hoc ipsi concederemus, unquam probabit, matrimonia Lineæ Rectæ ad Mischpatim, cætera ad Chakot referri. Non majus acumen est in eo, quando §. 40. *seqq.* negat, rationem prohibitionis, *Lev. XIX, 6. (quia scilicet persona prohibita sit de reliquiis carnis nostræ)* esse universalem, *quia alias extendenda esset etiam ad Sodomiam, consecrationem liberorum Idolo Moloch, quod tamen absurdum*; imò ex eodem medio termino propter communem cognationem, & quia omnes homines ex eadem carne Adami & Eva prognati sunt, *sequi, nulla inter homines (nisi Præ-Adamitas cum Peirerio statuere velimus) matrimonia admittenda, sed ea potius ex orbe proscribenda.* Universalem esse rationem in terminis habilibus & in isto ambitu, quem Deus constituit, supra probavimus. Quis vero, nisi absurdissimus, eam extenderet ad prohibitiones planè diversi generis, & ad personas nullo speciali vel sanguinis vel nuptiarum vinculo sibi junctas? Quod porrò dubitat, universalem hanc esse rationem, quia ad casum de fratria non possit applicari, quippe quam, licet sit de reliquiis carnis nostræ, Deus tamen aliquando ducere præceperit §. 44. est omnino de nihilo. Nam ad fratriam etiam quadrare, & hanc sub prohibitis contineri, loquitur *ŷ. 16. d. c. Levitici;* dispensando tamen Deus in certis casibus tale matrimonium fieri voluit, quod nemini mirum videri poterit, nisi, si qui fortè cum Brücknero eandem moralitatem & Naturalibus & Positivis Universalibus Legis tribuerit. Dum demique ab autoritatibus huma-

nis opinioni suæ speciem aliquam conciliare ausus est, parum sibi suæque causæ consulit. *Si, inquit, prohibitions matrimoniales Levitici XII. & XX. essent morales sive Naturales sive Positiva Vniversales, & quod contraria sententia Defensores plerique simul statuere solent, non tantum persona isthic enumerata, sed & omnes alia in paribus gradibus constituta, matrimonio invicem jungi prohiberentur, non potuissent dispensationes multarum personarum (quas ibid. commemorat) fieri, sed potius etiam re non amplius integrâ matrimonia omnia in his gradibus contracta rescindi debuissent §. 60. p. 271.* Quamvis enim, dum argumentum præter spem & opinionem sub manibus crescit, nunc non vacet distinctè de eo agere, an & quatenus hominibus circa gradus à DEO prohibitos dispensare liceat; illorum tamen sententiam probare non possumus, qui cum Beustio, *de Connub. p. II. qu. 52.* Carpzov. *Jurisprud. Consistor. L. II. tit. 5. def. 83. Tit. 6. Def. 99. Defin. Forens. p. IV. Constit. 23. def. 11.* ac aliis adductis à Brücknero *l. c. p. 264.* docent, haud dissolvendum esse matrimonium in gradu prohibito Lineæ Collateralis contractum & jam consummatum. Quod si enim sint convicti in tali concubitu viventes, matrimonium eorum à Deo damnatum fuisse, nonne quoties coeunt, toties peccatum contra conscientiam committunt; & qui ad hoc faciendum auctoritatem suam imperitiuntur, gravissimo simul reatu se obstringunt? Si fatendum, quod res est, exemplum in his agnoscimus Probabilissimi moralis, quem aliàs tantopere rejicimus atque in Jesuitarum Philosophia detestamur? Omnia, quæ

vulgò

vulgo pro pallianda harum conjunctionum licentia proferuntur, ad exactioris doctrinæ trutinam suspensa examen non sustinent. Incommoda quædam ex divortio proventura urgent. Quasi vero tanta hæc sint, ut in peccato contra conscientiam viventi possint esse sufficientia ad excusationem, & idonea ad animum tranquillandum. Non ferenda prorsus sunt, quæ Brücknerus habet *l. c.* etiam petentibus divortium in tali incestu viventibus non debere annui §. 52. conscientias erroneas hominum talium potius ex verbo DEI informandas, & ad continuandum matrimonium eos admonendos putat §. 54. Quomodo enim conscientiam erroneam eam vocare possit, quæ in actu à Deo damnato se versari dum videt, inde liberari anxie desiderat; quæ ratione talis ad continuandum incestum argumentis ex verbo DEI depromtis erudiri aut firmari possit, nos quidem, qui in negotio tam arduo nihil temere agendum statuendumque, sed optimum, quod tutissimum esse putamus, adhuc videre non valemus. Placuit potius grave monitum Dn. Thomasi, *in not. ad §. 110. L. III. c. 2.*

*Instit. Jurispr. div. p. 309.* quò breviter  
tatis studio Lectorem  
ablegamus.

❁❁ ): ( o ) : ( ❁❁



# SECTIO TERTIA,

in quâ

*De LL. Divina Positionis Universalibus  
falso talibus agitur.*

## CONSPECTUS,

- |   |   |
|---|---|
| <p>I. <b>A</b>D <i>Leges Divinay.</i> <i>Positionis Vn-</i><br/><i>versales perperam refer-</i><br/><i>tur jussum Dei de circum-</i><br/><i>cidendis pueris Gen.</i><br/><i>XVII, 10. Qu. an etiam</i><br/><i>mandatum Dei V. T.</i><br/><i>de Sacrificiis?</i></p> <p>II. <i>Nec non illud de ab-</i><br/><i>stinendo à Sanguine &amp;</i><br/><i>Suffocato Gen. IX, 4.</i><br/><i>Levit. III, 17.</i></p> <p>III. <i>Porro, de non com-</i><br/><i>mutandis vestibus, cùm</i><br/><i>vestimentis alterius sexu:</i><br/><i>Deuteron. XXII, 5.</i></p> <p>IV. <i>De scœnore non facien-</i><br/><i>do, Exod. XXII, 25.</i><br/><i>Deuteron. XXIII, 19.</i></p> | <p>De non concupiscen-<br/>do. Exod. XIX, 17. Deut.<br/>V, 21.</p> <p>VI. <i>Leges Mosaicæ pœ-</i><br/><i>nales non sunt pro Positi-</i><br/><i>vis Universalibus haben-</i><br/><i>da.</i></p> <p>VII. <i>Nec, quod de mulie-</i><br/><i>ribus velandis, marito-</i><br/><i>rum vero capitibus ape-</i><br/><i>riendis, &amp; de comâ ma-</i><br/><i>rium disponitur, 1. Cor.</i><br/><i>XI. ad Vniversalem Le-</i><br/><i>gem spectat.</i></p> <p>VIII. <i>Præcepta Christi Apo-</i><br/><i>stolis &amp; Discipulis pro-</i><br/><i>posita an LL. Positiva-</i></p> |
|---|---|

*rum*

*rum Universalium indolem habeant ?*

*Lex Dei Positiva Universalis non extat.*

IX. De requirendo parentum consensu ad nuptias

X. *Conclusio Dissertationis.*

§. I.

DE Circumcisione gravis aliquando quæstio fuit ;  
 D utrum ea ad solos Judæos, an verò ad omnes omnino homines, qui salutis æternæ participes esse voluerunt, tanquam medium universale in V. T. pertinuerit, atque adeò *Lex ista Dei de circumcidendis masculis*, certò modò pro Universalis haberi debuerit? *Prior sententia*, quæ ad solos Judæos refert, sine dubio palmam meretur, quamvis ne quidem de Judæis omnibus, sed tantum de Abrahami progenie, & quidem ex Jacobo descendente, id est de Israelitis ea admitti debeat, ceu contra Grotium, *L. I. c. 1. §. 16. de I. B. & P.* tradentem, quod omnis Abrahami posteritas ex DEI jussu circumcidenda fuerit, solide probat Osiander ad *h. l. Observ. X. p. 267.* Nam, licet in institutione Sacramentum Circumcisionis semini Abrahami simpliciter datum videatur *Gen. XVII, 10. seqq.* & Ismaelem æque ac Isaacum Abrahamus circumcidere, *ibid. comm. 23.* unde ad populos ex Ismaele & Cethura descendentes iste ritus dimanavit, historiâ teste ; Satis tamen apertè testatur Sacer Codex, per *Semen Abrahæ*, quod sub fœdere cum Abrahamo inito, cujus velut sigillum Circumcisio erat, Deus comprehensum voluit, intelligi solos ex Jacobo, Abrahæ per Isaacum nepote,

oriundos Israelitas ; *Gen. VII, 16. XXI, 12. XXVI, 3. 4. 24. XXVIII, 13. seqq.* non cæteros, tametsi & isti æque ac alii multi populi ad Abrahami prosapiam non pertinentes ex æmulatione quadam vel alia de causa ritum istum observaverunt. *Posteriori sententia* favit Franciscus Suarez, qui cum Sebastiano Oxoniensi Episcopo statuit, *circumcisionem, in quantum in remedium peccati originalis fuit ordinata, & professio de Christo futuro, potuisse esse in usu omnium Gentium, qua hoc signum inter alia eligere potuerint, quod sine dubio validum fuerit ad illum effectum, si ea intentione fieret, quamvis non fieret cum intentione profitendi Judaismum, seque illi populo adjungendi.* De Legg. L. IX, c. 7. § 5. Conf. Osiand. l. c. p. 267. Multa in his sunt, quæ obelo notanda, nisi profus fallimur. Circumcisio an in remedium peccati originalis ordinata fuerit, judicent Theologi. Potuisse & alias Gentes recipere Circumcisionem eum in finem ac usum, ut fiat remedium peccati originalis, nec tamen ipsæ indè profiterentur Judaismū i. e. Religionem Judaicam contradictionem involvit. Denique id, quod nostra maximè refert, in hac opinione falsum est, Deum universaliter ordinavisse, ut si qui salvi esse vellent, omnes omnino homines Circumcisione, tanquam medio necessario, uterentur. Nam (1) hoc foedus Circumcisionis apertè erat restrictum ad Abrahamum & ejus posteritatem. (2) Suscipere hunc ritum cum intentione alicujus remedii, & sub ratione professionis de Christo futuro non potest concipi sine prævia informatione, quod sit remedium peccati, quod sit professio Christi

ven-

venturi. At verbo & tali informatione caruere Gentiles.  
 (3) Ut sigillū à literis avulsum nullius est usus: sic Circumcisio, quæ sigillum est, inter Gentiles ob verbi defectum non habuit illum usum, quem Sacramenta præstant. Sic respondet Osiander *l. c. p. 267. seq.* cum quibus conferri potest Grotius *L. II. c. 1. §. 15. I. B. & P.* quò locò licet nonnulla habeat, quæ admitti per omnia non possunt; satis tamen solide probat exemplo Profelytorum aliorumq; , potuisse Gentiles fidem habere in Messiam, nec tamen vel Circumcisioni vel aliis Judæorum Legibus ritualibus se subicere. Accusat quidem de hoc tanquam gravi errore Grotium Gu. van der Muelen, *in Comment. ad h. l. p. 57. seqq.* Sed dubitamus, annon ipse potius, dum Grotium redarguere vult, alio modo impeggerit. *Lex, inquit, ceremonialis quamvis peculiariter populo Ebraeo lata sit, attamen ejus obligationem etiam ad alienigenas pertinuisse dicendum nobis videtur, quatenus, si salvi esse vellent, non possent, nisi idem cum Judæis subirent legis jugum, id est, nisi eosdem ritus & easdem ceremonias amplecterentur p. 58.* Rationes, quas passim adhibet, id non videntur evincere. Tametsi enim conceditur, Circumcisionem & ritus reliquos rationem *ἰσχυρισμῶν* cujusdam habuisse, quâ Gentiles etiam ad Messix notitiam pervenire potuerint, quòd quidem locus à Muelio adductus *ad Gal. III, 3.* potius de Lege Morali quam Cæremoniali loquens, non satis luculenter probat; Licet etiam ritus isti *umbram futurorum habuerint*, ceu Apostolus *Ebr. X, v. 1.* pronunciat; ex his tamen nondum sequitur, quod aliâ ratione &

viâ



viâ ad notitiâ Salvatoris Gentiles pervenire, & isti, qui ad eam jam perducti erant, salutem nisi per Circumcisionem & observantiam omnium reliquorum rituum, obtinere plane non potuerint. Neq; etiam est, quod aliqui hic urgeant Baptismum, velintque, quod eadem ratione, ut hodie ad baptismum recipiendum obstringuntur omnes, qui salvari cupiunt, ita etiam ad Circumcisionem omnes in V. T. salvandi fuerint obligati. Respondemus enim cum Osiandro *l. c.* subesse hic magnam disparitatem, quod nullum mandatum de Lege Circumcisionis Universali extet, extensio autem baptismi ad omnes Gentes apertè legatur, *Matth. XXVIII. euntes in mundum universum predicare Evangelium & baptizate, p. 269.* Ad *Sacrificia* quod attinet, de iis saliter pronuncian- dum, & ad ea universali quadam lege omnes in V. T. qui salvi esse voluerunt, obligati fuisse videntur. Erant enim hæc signa, quibus cruenta Messix mors præfigurabatur, etiam jam tum temporibus ahtediluviani- anis. *Apoc. XIII. 8.* Quo sensu D. Franzius *Sacrificia ad Evangelium pertinere ait, cum, quicquid in iis principaliter & primario occurrit, non nisi ad Evangelium referri queat, videlicet adumbratio mortis Christi pro aliis subeunda. Scholâ Sacrific. Disp. XII, §. 97.* Rectius sanè, quam Jo. Spencerus, qui suæ *Introduction aux Évang.* magno apparatu probare conatur, è *ruditate Gentium profanarum ortum habuisse Sacrificia, eumque in istis Deo fuisse propositum finem, ut, cum primum ad idololatriam populum à ritibus istis in Ægypto visis abductum iri des- speraret, saltem in melius formata & ad alios fines desti-*

nata-

nata Sacra, quoad originem Gentilia illi relinqueret. Legg. Ebr. ritual. L. III. Dissert. II. c. 1. seqq. p. 118. seqq. Cui commento ex Rabbinicis lacunis maximam partem hausto, uti Sacrae Literæ Gal. III. 9. Ebr. X. 1. aliisque in locis aperte contradicunt, & pædagogiam ad Christum pro fine Sacrorum horum primario habent; ita satis evidenter apparet, omnes omnino, qui salvari per Messiam desideraverunt, ad ea amplectenda in V. T. fuisse obstrictos. Præterea etiam ex praxi Judaicæ Ecclesiæ constat, cum Circumcisio non ab omnibus Profelytis aliisque ad populum Israeliticum accessuris exacta fuerit, usum tamen Sacrificiorum omnes habuisse communem, cum eo tamen discrimine, ut holocausta tantum spontanea Profelyti domicili, cætera vero omnis generis Sacrificia Profelyti Justitia eodem jure ac ipsi Judæi nati offerrent, quò de latè Selden. l. c. Jur. N. & G. Ebr. L. III. passim, maxime autem c. 4. & 8. Dn. Thomafius in eadem, quam nos defendimus, antehac fuit sententia, & Sacrificia Lege DEI Positivâ eoque, quem diximus, respectu universali præcepta statuit, Instit. Jurispr. div. l. II. c. 1. §. 7. 42. quod & confitetur in sæpius adducta Observazione XXXII. §. 44. Sed discedit in eadem à priore mente, & præceptum de Sacrificiis pure Mosaicum esse declarat, per quæ verba quid innuat, facile prodit subjecta ad autoritatem Spenceri provocatio, quam tamen tanti non habemus, ut Oraculis Sacris opponi possit, & Spencero modo laudatum Franzium cum in Schola Sacrificiorum, tum in Commentario ad Leviticum iis, qui sani quid in hoc ar-

gumento cupiunt, præferendum suademus. Cæterum peccare hic in altero extremo Pontificios statuentes, ex lumine Naturæ semper ac ubique notam fuisse sacrificandi necessitatem, discimus ex D. Alberti *Compend.* 7. N. O. p. II. c. 1. not. 21. ad. §. 15. *Satis utique inepte, si qui ita sentiunt. Quomodo enim Natura exigere potuit, quod sola Gratia, durante umbra, cum nondum venisset corpus, in solatium fidelium invenit? Hinc ne quidem in statu integritatis ratio, cum summa esset perfectionis, Sacrificia excogitare ac requirere potuisset; Verba sunt ejusdem D. Alberti l. c. p. 48. quibus & nos subscribimus.*

§. II.

Extat interdictum *Gen. IX, 4. de non comedendo sanguine animalis adhuc viventis; & Lev. III, 17. VII, 26. 27. XVII, 10. seqq. XIX, 26. Deuteron. XII, 16. 23. seqq. de non comedendo Sanguine in genere animalis, sive viventis, sive occisi & in sanguine suffocati.* De hisce interdictis quæsitum fuit multoties, ad quam LL. Divinarum speciem referenda sint? Non defuere, qui prius cum Ebræorum Magistris ad ipsum Naturæ Jus pertinere sunt arbitrati, Vid. Brückner *l. c. proæm. §. 54.* Albert. Vögtius, *Miscellan. Bibl. p. 50. seqq.* Sed solidis sine dubi fundamentis destituuntur, qui sic sentiunt, & Cardano iudice, ἀνοφαια ex rationibus physicis potius commendanda quam improbanda, si modo crudis natura nostra adsuefieri hodie possit, *Subtil. de element. L. II. p. m. 99.* Pluribus de hac re alibi Dn. Præses, in *Dissert. de moralitate*

tate

*tate κρησθαλιας*, §. XXXVII. *seq.* hab. Lips. 1692. *Posterius* uno quidem ore, quantum nobis constat, Legibus Divinis Positivis accensent, sed in eo est sententiarum divortium, ad Cæremoniales, an vero ad Positivas Universales spectet, & ex eorum numero sit, quò Christiani hodie adhuc in N. Fœdere obligemur? Occasionem posterius statuendi dedit decisio controversiæ in Concilio Hierosymitano quondam ventilatæ, *Act. XV.* Cum enim conversi ex Judæis iis, qui ex Gentilismo Christianam fidem receperant, Circumcisionem obtrudere vellent, Apostoli his contradicentes hæc tria potius probè inculcanda novis Christianis decreverunt, *ut scilicet abstineant ab idolothytis, à sanguine ac suffocato, & denique à fornicatione. ψ. 20, 29.* Unde aliqui doctissimorum virorum in eam incidere persuasionem, nos hodiernum ob decretum Hierosolymitanæ Synodi Legi Divinæ obsequium debere, quemadmodum constat sic sensisse Grotium, *Nott. ad Genes. IX. Levit. XVII. Act. XV.* Salmasium, *de Fœnore Trapezit. à p. 438. ad 456.* Chr. Becmannum, *Exerc. Theolog. XXVI.* Sandium; *Nucleo Hist. Eccl. p. 54. 69. 95.* Thom. Bartholinum, *Disquisit. de Sang. vetit.* aliosque à Jo. Wandalino, *Vindic. Libertat. Christ. circa sanguin. in Præfat.* longo agmine recensitos. Peculiari etiam Diatriba Stephanus Curcellæus hanc sententiam iterum recoxit; sed responsum accepit à Jo. Henr. Heideggero, in eruditissimo *Tr. de Libertate Christianorum à lege cibaria veteri de Sanguine & Suffocato.* Et negari nequit, Græcicam Ecclesiam, contra Latinam, istud interdictum semper religiose cu-

stodivisse, quam Moscoviticæ, Armenæ & Hebesse-  
 aliæque Gentes securæ sunt, ut videre est apud Hei-  
 deggerum *c. I. §. 14 seq.* At enim verò standum me-  
 rito in Libertate Christianâ, de qua Apostolus *1. Tim.*  
*IV. 3. seqq. 1. Cor. IIX, 8. & Lex illa pro Cæremoniali, so-*  
*los quippe Judæos obligante, habenda est, cujus ratio-*  
*nem latius exponunt B. Lyserus, Noach. p. 270. Calovius,*  
*Comment. in Genes. IX, 4. p. 719. Seb. Schmidius, Annot. in*  
*Genes. d. c. IX. 4. Heidegger. l. c. c. IV. 13. p. 55.* Ad suf-  
 focatum quidem in specie quod attinet, videri possit  
 subesse etiam ratio aliqua Physica, à Deo ipso subindè  
 indicata; quando animam animalis bruti inesse sangui-  
 ni aliquoties ait. Eo enim ipso, dum in suffocatis spi-  
 ritibus animalibus sanguini velut innatantibus emigrandi  
 via præcluditur, mors talib<sup>9</sup> sine convulsionibus vix venit,  
 certe multo majore cum anxietate, quam ubi cum ipso  
 sanguine anima exhalatur, non absolum fors fuerit cre-  
 dere, quod carnes & sanguis talium animantium homi-  
 num sanitati facile officere possint. Sed cogitent de hoc  
 Ascelpiadæ profundius, quorum meditatione non  
 indignam rem judicamus. Cæterum ex Decreto Syno-  
 dali obligationis perperuitatem non probari posse indè  
 luculentum fit, quia etiam de idolothycis simili ratione  
 in eodem disponitur, nec tamen cibum istum Christia-  
 nis simpliciter interdictum docet Paulus *1. Cor. VIII. per*  
*tot. & c. X, v. 27.* ex cujus verbis inter alia etiam aperta  
 prodit causa decreti Hierosolymitani. Sola scilicet scan-  
 dali evitatio decisionis vera ratio fuit. Offendebantur  
 enim conversi ex Judaismo, quibus inolitæ de observan-

tia

tia legis Mosaicæ persuasiones tam cito eripinon poterant, si quando videbant, alios è Christianis sanguine & suffocato vesci, imo ne quidem à reliquiis Sacrificiorum Ethnicorum, dum ab Amicis & Cognatis adhuc idololatriis ad convivia vocabantur, comedendis abstinere. Quin etiam aliis Christianis offendiculum libertas illa præbebat, quorum, licet erroneâ conscientiâ judicarent, nihilominus rationem haberi, & tantisper ab istis cibus abstineri debere Apostoli rectè censuerunt. Videri possunt pluribus de hoc argumento Dorscheus, *discurs. de esu sanguinis & suffocati*; Johannes pater & filius Wandelini, in scriptis de hâc materia contra Th. Bartholinum, & alii nominati à Dn. Præside, *Proœm. Dissert. de Κρωφαγία Ante-diluvianorum*, hab. Lips. 1681.

§. III.

*Mulierem gestare virilia, & virum uti veste fæmineâ, cum sibi sit abominationi, prohibet Deus* & Deuteron. XXII, 5. De armis an de vestimentis virilibus sermo sit, cum vox in fontibus extans de utroque accipi possit, nos quidem non disquiremus; optimum forte, si utrumque vetari dicamus, præcipuè vero vestem, cum statim in sequentibus interdicit æque masculo, ne fæmineâ vestitu induatur. Quæsitum fuit *an lex hæc etiamnum hodie Christianos obliget?* Et sic perluasi fuerunt Fran. Junius, ac alii apud Martin. Schroockium, *Exercit. XXV. §. 2.* Imo in Synodo Gangrensi, *Can. XIII. mulier sub anathematis pœnâ prohibita fuit vestem mutare, & pro solita muliebri virilem sumere*; quamvis

ibi addatur specialiter ; si id faciat *δὲ τὸ μὴ ὁμοίως ἀνομιεῖν*,  
*propter affectatam quandam pietatem.* Et eo processisse  
 nonnullos, ut existimarint, ipsi Legi Naturæ adversa-  
 ri eam vestium permutationem, constat ex eodem Scho-  
 okio, quod tamen (nisi forte propter malos fines & per  
 abusum ea fiat, quò de pluribus Selden. *de Dis. Syris, Synt.*  
*II. c. 4. p. 281.*) ferendum non est, cum Societati  
 humanæ nullum inde damnum metuendum sit, quin  
 potius multæ Gentes communibus vestimentis promi-  
 scue usæ fuerint, uti de Germanis nostris discim<sup>9</sup> ex Ta-  
 cito, *Mor. German. c. XVII.* talesq; promiscuas vestes non  
 nullas habuisse Græcos constat ex Suidâ, in dictione: *The-*  
*ramenes.* De Barbaris in genere testis est Jul. Pollux, *quod*  
*muliebribus vestibus delectati fuerint*, *Onomast. L. VII. c.*  
*2.* Imò & Romanis fuisse vestes, quibus promiscuè usa mu-  
 lier cum viro, apparet ex *l. 23. §. 2. ff. de aur. & argent.*  
*leg.* Vid. If. Schook. *dissert. de LL. vestiariis, in append.*  
*qu VI.* Cl. Salmasius recte quidem *Legem Divinam*  
*vestiariam non ex naturalibus esse*, ait, sed rationes, quas  
 adhibet, sunt admodum infirmæ ac tales, quæ inverti  
 facile possent. *Ipsa, inquit, natura satis distinguit utrum-*  
*que sexum, sed aliis rebus, quam vestium ornatu diver-*  
*so. Si vero placuit homini etiam vestium discretionem*  
*de suo addere ad naturalia sexus discrimina, non naturam*  
*in hoc suam ac propriam sequitur, sed animalium commu-*  
*nem imitatur. Nam etiam veste, id est, pilo distinguun-*  
*tur mares & fœmina animantium.* *Epist. de Coma, p. 585.*  
*seq.* Rifu excipiendum potius est, quam responsione,  
 quod Brücknerus *l. c. Proœm. §. 69.* contra eorum senten-  
 tiam

tiam profert, qui totum genus humanum dicta DEI Le-  
 ge teneri autumant: Scilicet *dramatum scenicorum, at-*  
*que, ut hodie vocari solent, Operarum exhibitores, &*  
*Speſtatores ipſis adplaudentes nunquam id credidiſſe, aut*  
*adhuc credere* ; Quasi verò id hominum genus, quod  
*opera* ſibi nihil datum dum credit, quâ Deo & Sociis  
 queat inſerviri, *Operis* vulgò ſic dictis indulget, in argu-  
 mentum adduci poſſit, unde probetur, Legem aliquam  
 Dei ad humanum genus pertinere. Igitur cum nec  
 ad naturales referri poſſit lex divina iſta, nec cauſa pateat  
 ulla, cur hodie Chriſtiani ad illius obſervantiam ad-  
 ſtringi debeant (nam quod Deus *abominari* dicitur, id  
 nec ſemper ob naturalem vel aliàs univerſalem turpi-  
 tudinis rationem fieri ſupra monuimus) nil aliud ſuper-  
 eſt, quam ut inter particulares Judæis que proprias ea  
 numeretur. Politica vero fuerit an Sacra, adhuc diſ-  
 quiri poſſit; & habet utraque ſententia ſuos Patronos.  
 Nobis cum Zeppero, *LL. Mosaic. Forenſ. L. i. c. 7. p. 47.*  
 mixti generis ea fuiſſe videtur, & à potiori quidem  
 Politica, ad bonum ordinem, à Deo ſic præſcriptum  
 faciens, quemadmodum aliæ ſimiles de duplici ſemento  
 non adhibendo, de veſte è lana & lino non conficien-  
 da, de bove & aſino aratro non jungendis, in eodem  
 Deut. XXII. capite propoſitæ; quæ tamen certo & my-  
 ſtico quodã ſenſu etiam ad Sacras referri poſſit, dum Deus  
 talia conjungi prohibendo ſimul mixturam diverſarum  
 religionum, & cultum omnem aliunde adſcitum inter-  
 dicere voluiſſe videtur; id quod facilius aſſenſum obti-  
 nebit, ſi, quæ Spencerus, *l. c. de LL, Ebr. Ritual. L. II. c. 17.*

*ſeqq.*



*seqq.* probanda sibi sumsit, vera fuerint, scilicet Zabios, pessimos idololatrias, per omnia ea heterogenea à Deo hic verita Dæmoni & idolis suis cultum præstare consuevisse. Sic enim concludit: *Deus itaque misturas omnes, more profano factas (etiam promiscuarum vestium usum vid. C. XVII.) lege lata sustulit; ne locus aliquis Zabiorum dogmatis & institutis superesset, nec populus ejus lanam & linum, vinum & oleum, greges & fruges à Deo recepta siderum aut idolorum conjunctionibus accepta referre videretur, c. XXI. p. 405.*

§. IV.

Videamus nunc etiam de *Fænore*, quod facere Deus Judæis prohibuit *Exod. XXII, 25. Deuteron. XXIII, 19.* Unde multi in eam adducti fuere persuasionem, ac si fœnus (quod alias communiter *Trapeziticum* audit à τραπεζιτικόν i. e. mensula, cui assidere solebant homines huic quæstui dediti, *mensularii* inde etiam dicti) exercere universaliter, & quidem vel ipsa Lege Naturæ vel Lege Dei saltem Positiva interdictum esset. Magnum eorum, qui justitiâ fœnoris impugnarunt, catalogum exhibet Martinus Schoockius, *Exerc. XXVIII, §. 1.* Et notum est, quam superioribus temporibus Theologis quibusdâ in Belgio Trapezitarum professio Christianismo sic repugnare visâ fuerit, ut eos ne quidem ad communionem Sacrorum vel ad S. Synaxin admiserint; (Vid. Fr. Zypæum, *Tr. de jure Pontif. nov. L. V. Tit. de Usur. Item de notit. Jur. Belg. L. IV. de usur. p. 128.* ubi edictum Caroli V. d. 30. Jan.

1545. cujus

1545. *eujus hæc verba: fœnebrem mensam exercentes di-  
vinis officiis non intersint, alioquin privilegium amittant;*  
vehementissime etiam Gisbert. Voëtius adversus eos  
scripserit, & tanquam Christianorum cætu & muneribus  
in Republica honestis indignos condemnaverit. Non  
desuere tamen ex adverso tum Theologi tum Jcti,  
qui nec Naturali nec Divinæ aliàs Legi modicas usuras re-  
pugnare solidis argumentis evicerunt, & in Belgio hæc  
partes inter alios Cl. Salmasius, edita de *fœnore Tra-  
pezitico*, dissertatione tuitus est. Voetio etiam se oppo-  
suit Mart. Schoockius, & gloriatur, *quod alicubi à pluri-  
mis quoque annis Theologi & Pastores Belgici sapere cœ-  
perint, atque transire ad meliorem mentem, Trapezitas,  
mensarumque fœnebrum exercitores, de quorum vita in-  
culpata liquebat, admittendo ad cœnam dominicam. d.  
Exercit. XXVIII. §. 11. p. 494.* Hugo Grotius & ipse  
in eâ persuasione fuit, Legem Dei V. T. nos adhuc ho-  
die in N. Fœdere viventes obligare, *I. B. & P. L. II. c. 12.  
§. 24.* Sed contraria sibi scripsit in *Annot. ad Lucam VI.*  
Nos cum iis facimus, qui usuras modicas & ad æquita-  
tem attemperatas (nam mordentes & immodicas meri-  
to damnamus, & injustos avarosq; fœneratores furum in-  
star infamiâ notandos, nec ad Sacra Christiana admitten-  
dos censemus) nullâ Dei voluntate improbatas, quin  
licitas omni ejus Jure, & tantum non necessarium hoc  
rerum statu in rebus publicis fœneraticium contractum  
existimant. De Jure Naturæ certum est, eum non pro-  
hiberi, siquidem nulla apparet ratio, cur non ex pecu-  
niâ meâ, perinde atque ex aliis meis rebus, lucrum fa-

cere , vel saltim in lucri , quod alter inde capit , partem  
 venire queam. Imo contrarium si fieret , melioris ef-  
 sent , qui aliorum pecuniis utuntur , conditionis , quam  
 ipsi earum domini , quod naturalis æquitas pariter &  
 æqualitatis servandæ necessitas non admittit. Ut tace-  
 amus , Deum , si usuræ simpliciter Naturali Juri adver-  
 sentur , earum ab extraneis sumendarum hujus Israelitis  
 concedere non potuisse , quod tamen factum docent  
 Oracula Sacra , *Deuteronom. XXII, v. 20.* Pluribus de hoc  
 argumento agentes consuli possunt Pufendorf. *I. N. & G.*  
*L. V. c. 7. 8. 9. Offic. H. & G. L. I. c. 15. §. 11.* Huber. *de*  
*Jur. Civit. L. II Sect. 2. c. 5. §. 21.* Quod autem usu-  
 ras à Judæo Judæum accipere Deus prohibuerit , id ex  
 rationibus peculiaribus & ad solam Ebræam gentem  
 Remque publicam pertinentibus esse factum facile do-  
 ceri potest. *Primò* Deus majore dilectione devinciri si-  
 bi invicem Ebræos , quam alios quosvis voluit , cujus  
 inter alia etiam constabat ex eo certum indicium , si  
 gratis alter alterius necessitatibus succurreret. Huber.  
*l. c. §. 22.* uti contra cognitum est , ex historiis , ab usum  
 fœneris seditionum discordiarumq; causas nonnunquam  
 dedisse , quod de urbe Roma testatur Tacitus , *Annal. L.*  
*VI. c. 16.* & Appianus *L. I. Bell. Civil.* *Deinde* ab ava-  
 ritia , ad quam Gens ea semper prona fuisse videtur , per  
 hocce remedium eam abducere , & cum omnino eam  
 habendi famem extinguere vix posse cerneret , aliquid  
 tantum ratione Exterorum indulgere voluit sapientissi-  
 mus Legislator. *Tandem* cum fere commerciorum promo-  
 vendorum causa fœneris usus introductus sit , ea autem ut  
 apud

apud Ebræos nimis gliscerent, non videatur fuisse vel Dei consilium, vel admittere voluisse ipsa Reipublicæ Judaicæ structura; idcirco mirum non est, Deum usurarum licentiam in dictâ Gente sustulisse, ceu fusius hæc & erudite ostendunt Pufendorf. *l. c. §. 9.* & Gerardus Noodt, *de Fœnor. & usur. L. I. c. 10. p. 62. seq.* Neque vero vel doctrina Christi nostræ sententiæ obstat, qui *mutuum dare* jubet, *ut nihil vicissim inde speremus, Luc. VI, 35.* Unde videri possit, quod ne quidem fœnus Christianis à debitoribus exigere liceat, maxime si Græca vox *δανείζεν* significet *mutuum dare sine fœnore*, quem significatum eam aliquando apud Platonem & Aristotelem habere Lexicographi annotarunt. Nam *primo* Salvator ne quidem de fœnore loquitur, sed potius de jactura ipsius fortis; ergo ad probandam fortis iniquitatem locus iste in specie nihil facit. Vid. Noodt. *l. c. p. 75.* Interea cum multo majus sit, non repetere sortem, quam non exigere fœnus, & sic videri possit, quasi saltem per consequentiam hæc Christi verba usuras impugnent, dicimus *Secundo*, Christum dum in isto loco (quemadmodum etiam *Matth. V.* aliisque parallelis) charitatem Christianis summoperè commendat, *omnia, quæ his contraria sunt, & quatenus cum charitate vere colliduntur, prohibere*; extra cum vero casum, & quatenus sine tali collisione exerceri possunt, omnino etiam ex ipsâ Christi intentione adhuc pro licitis haberi debere. Quando igitur contingeret, ut repetitio fortis vel fœneris acceptio adversaretur dilectioni Christianæ, tum quidem locus dandus esset præcepto Christi; extra hunc autem

casum quin utrumque sit licitum , à nemine vel hodiè  
vel cras nobis persuaderi patiemur.

§. V.

Occurrunt porrò inter Decalogi præcepta nonum  
& decimum *de non concupiscendis rebus & uxoribus alio-  
rum. Exodi XIX, 17. Deuteron. V, 21.* Quæ Legibus Dei  
Positivis universum genus humanum obligantibus a non-  
nullis accenseri plus satis notum est. Brückner *l. c. in  
proam. §. 67.* Ansam ita sentiendi arripuerunt è verbis  
Apostoli, profitentis, *se nescivisse, quid sit concupiscentia,*  
& quod tam prava sit, *nisi dixisset Lex,* scilicet Divina  
Mosaica: *non concupisces. Rom VII, 7.* Unde collectio:  
si natura homini non dicitat, concupiscentiam pravam  
Deo adversari, sed Lex Dei Mosaica, eaque universis homi-  
nibus observanda, sequitur, quod ea lex sit Positiva  
Universalis. Verum dubitaveris hic merito de verita-  
te antecedentis, siquidem per τὴν ἐν ἑαυτῷ non primos  
vitiosi appetitus in homine motus, sed secundos intelli-  
gamus. Priores enim licet DEO displicere vel naturâ  
etiam duce aliquo modo sciri possit, tamen cum obje-  
ctum Legis non sint, Lege etiam Naturæ eodem dire-  
cto non prohiberi concedendum est. Quod vero ad se-  
cundos motus, sive illa hominum cogitata attinet, qui-  
bus pravis concupiscentiis indulgent, quatenus iisdem de-  
lectantur, & in actus exteriores deducere conantur, quæ  
mente occulte volutarunt, ea omnino ipso etiam Na-  
turali Jure interdicuntur, & locum habet hic istud

JCorum

Jctorum, *quod prohibitum est in termino, prohibitum etiam est in via.* Licet enim pravus appetitus internum animi vitium sit, & propterea regulariter in foro humano cogitationum pœnam nemo luat; inde tamen non sequitur, hominem recto judicio præditum pravitatem eam non posse cognoscere, & Naturæ Legem eam non detestari. Fassi sunt id meliôres Gentilium Philosophorum, quorum aliqua testimonia Grotius ex Senecis, patre & filio, Æliano, Dione Prusensi, & Porphyrio collegit, in *Comment. ad Decalogum.* Tales autem concupiscentias, in Decalogo intelligi dubio carere non existimamus, cum in eo consentiant Interpretes ferè omnes cum antiquiores, tum recentiores, & in iis ipse B. Lutherus noster, qui etiam longius procedit, & concupiscentias cum effectu, seu *cum insidiis & molimine conjunctas* (ut Philo ait, *Lib. de Decalog. p. 1. c. 764.*) interpretatur, in *Catechesi.* Quando igitur Apostolus ait, sibi de *iniquitate* non nisi ex Lege Mosaica constituisse, id vel de primis istis *malarum cogitationum insultibus* intelligendum est, quos ipsos etiam tanquam ex originali peccato provenientes Sanctissimo Deo invisos illuminatæ mentis oculo perspexit, cum naturæ lumen ad hoc distinctè cernendum non sufficeret; vel si de *posterioribus* ipsi sermo est, ex hypothesi suæ sectæ sic locutus censeri debet. Judæi enim (cum quibus etiam facere plerosque Scholasticorum notissimum est) dicunt, concupiscentiam non prohiberi, nisi quatenus prorumpat in actus exteriores. Negant Ebræi plerique, te-

ste Aben-Esra, peccari sola voluntate. Eos sequitur Kimchi ad *Psalm. LXXVI, 18.* Et Josephus de Antiochi cogitato Sacrilegio (*Antiq. l. XII. c. 13.*) non erat, inquit, *pæna obnoxium consilium sine effectu.* Sub talibus Magistris institutus Paulus non credidit peccari concupiscendo. Hæcex Lyra Matth. Polus, quem vid. *Synops. Criticor. ad Exod. c. XX. v. 17. p. 375.*

§. VI.

*An Leges Mosaica pœnales adhuc hodie stringant, ut Christiani Magistratus eas observare jubeantur*, æque in quæstionem venit, ac cætera, de quibus modo egimus. Doctores, qui affirmativam teneant, & quidem è Theologis Junium, Wolfgangum Musculum, Zepperum, Dietitium, Maccovium, ex Jctis Bachovium, Ant. Matthæum (notatos etiam à Zieglero, ad *Grot. L. II. c. 1. §. 14. p. 209.*) enumerat D. Zentgrav. *Summa Jur. Div. Sect. I. de Leg. Forens. p. 110. seq.* quo brevitatis studiò lectorè remittimus. Omnia eorum huc redeunt: Pœnas capitales, quæ jure civili apud Ebræos communiter obtinuerunt, etiamnum hodiè observandas, si verò quibusdam delictis talem Deus non dicitavit, iis etiam hodiè eam non dicitari debere, unde inprimis furum suspendia improbant. Posteriori sententiæ etiam adstipulatur Grotius *I. B. & P. L. II. c. 1. §. 14.* eòque nomine laudat Scottom. Grotium adversus Feldenum defendit Graswinkelius, *strict. p. 97.* Enimvero uti Grotio rectè Grotium hic opponimus, dicentem alibi: *nullâ parte Legis Ebrææ, qua Lex est,*

est, proprie nos obligari hodie, quia nullo indicio possit probari, Deum voluisse, ut alii, quam Israelita ista lege teneantur. *L. 1. c. 1. §. 16.* Ita cum Leges pœnales ad forum Judaicum solum pertinuerint, & in multis specialem isti populo ejusque conditioni & ingeniis attemperatam causam habuerint, res autem publica, Judæorum dum Schilo venit, *Gen. XLIX, 10.* ex confessione omnium conciderit, cessentque hinc speciales istæ pœnarum aliquarum rationes, nullo modo videri potest, unde sint ista vincula, quæ ad observantiam earum Legum nos adhuc tum hodie obstringant, vel magistratibus nostris easdem non extendendi potestatem eripiant. Ad id conducere posse ac debere Leges istas concedimus, ut de justitia ultimorum suppliciorum in genere reddamur eo certiores, ut si quorundam delictorum vindicandum ratio est generalis, ad omnes Respublicas quadrans, inde nobis petamus exemplum, quod imitemur, saltem quoad supplicii genus; & ut ad similia, si verè talia sunt, pœnas extendamus; non verò ut strictim iisdem inhæreamus, nihil addentes, nihil mutant, nihilque detrahentes, unde sane vix fieri possit, quin in quamplurimis aliqua emergeret iniquitas, cum Deus ex specialibus causis erga Judæos aliquando fuerit indulgentior, aliquando supra communem juris rationem rigidior, ceu exemplis probat Theod: Paulli, *Ver. Juris Princip. p. II. Qu. 22. p. 152.* cum quo Ziegler & Zentgravius *ll. cc.* conferri merentur.

§. VII.

Effecit aliquando duorum in Belgio Sacerdotum circa co-

nam



nam dissensio, de quâ in *Notis ad Scharrockium de Officiis, Cap. XI. D. Sam. Reyherus p. 454.* ut non solum inter plebem multum disquireretur, *an maritos comam alere deceat, an non?* sed & eruditi hac de re variis scriptis sententiam suam aperirent. Qui pro negativa steterunt, undè dicti *τρυβμαχοι*, usi sunt argumentis petitis ex *1<sup>a</sup> Cor. XI.* maxime *commate* ejus *14.* ubi Apostolus ad Corinthios: *nonne natura vos docet, quod si vir comam alit, id ipsi sit turpitudini?* eaque occasione simul quæstiones, *de velandis mulieribus & de aperiendis maritorum capitibus* ventilatæ fuerunt, cum ad utrumque hoc argumentum etiam Apostoli doctrina in dicto capite pertingat. Nolumus nos, quæ hinc inde prolata fuerunt, operose repetere; ut tamen, quæ nostra mens sit, aperte constet, dicimus breviter, quod quæcunque de velamento mulierum, de denudandis capitibus virorum, deque comâ mulieribus imperanda, maribus interdicenda d. l. habet, neque ad Naturales, neque ad Dei Positivas Univerales Leges verè & proprie sic dictas referri debeant. *Primo* enim si Christus non est Legislator, multo minus talis dici poterit Apostolus. *Secundo* habitus exterior, nudo quis an aperto capite precetur, resectis capillis an comam alens, nihil facit ad cultum Dei, cum hæc omnia sint indifferentia, modo abusus tollatur in capillis ornandis, crispandis & infucandis, rebusque similibus, quibus mulieres imprimis ad venaturam masculorum utuntur; ceu pluribus ostendunt Salmasius, *de Coma* passim, & Mart. Schoockius, *l. c. Exerc. XXIV.* In N. T. Deus quoad ri-

tus

tus omnia reliquit in arbitrio hominum. Inde suasoria sunt tantum argumenta, quæ Paulus adfert, & topica, ad honestatem morum, quæ apud Corinthios aliosque Christianos in Græcia tum temporis in talibus recepta erat, Auditoribus suis eò melius inculcandam, non autem simpliciter obligatoria, & ad alios, ubi talis mos non receptus, æque etiam extendenda. *Pertinere inquit Beza, hæc Pauli ad ἑραξίαν, ac proinde non sine distinctione locorum & temporum accipienda, vel exinde intelligi potest, quod hodiè contrariâ prorsus ratione capite aperto in catu loqui signum est autoritatis, aperto verò subjectionis testimonium. Comment. ad 1. 4. Quarto quando Apostolus ad naturam provocat, quæ fœminas comam alere faciat, non item masculos; id non de Naturali Jure intelligendum, sed de naturæ operatione, & naturali fœminarum κράσις, quæ plerumque longioribus capillis & promissiore comâ præditæ sint, quod argumento topico ideo fieri addit, ut ipsis sint tegumenti loco 1. 55. eum scilicet in sensum, uti etiam apud Stobæum Musonius, titulo περὶ ἀπολασίας, comam vocat στέπην ὑπὸ τῆς φύσεως πεπορευμένην, tegumentum ab ipsa natura subministratum.*

§. XII.

Perducimur ordine ad Quæstionem vexatam, an præcepta Christi Apostolis & Discipulis proposita Legum Positivarum Universalium indolem habeant, quam, dum professa opera hoc argumentum tractamus, omittere non potuimus. Ac quidem de præceptis Christi fors

Z

nemini

nemini dubium, quin, quæ omnibus Christianis in suis ordinibus dicta sunt, *universos* quoque teneant, ac proinde *Universalia* sint; *Positiva* etiam esse, cum de iisdem ex sola per Christum revelata voluntate & jussu constet, non ex ratione, nemo iverit inficias, nisi qui revelationem à ratione discernere non potuerit. Ast an *Legum* nomen præceptis istis Sacris tribui possit atque debeat, in eo omnes non consentiunt, quod quidem mirum videri possit. Nam non solum ipsa Sacra Scriptura phrasin hanc adhibet, & præcepta Christi aliquando Legem Christi nominat; sed & Theologorum regula est: *Lex moralis Decalogi eadem est cum Lege Christi*. D. Bechmann *ad Hutteri Locum XXII. de Matrimon. thes. 8. §. 8.* D. Bajer. *in Theol. Posit. p. III. c. 7. §. 19. sub lit. a. & c.* Vid. Brückner. *l. c. in Proem. §. 71.* Imò invenias Theologos, qui sic loqui non verentur. Adducemus hac vice unicum Calixtum, qui, postquam de Imperatorum Christianorum Constitutionibus circa divortia locutus fuerat, sic pergit: *Numquid igitur Sancti Patres pro legitimo habuerint, & Conciliorum Canones ut tale declaraverint aliquid directè cum lege Christi pugnans? Aut Christiani laudatissimi Imperatores Legem Christi contrariis suis Constitutionibus sublatam & eversum iverint? Equidem sicut horum aliquid affirmare non audeo, ita Legis Christi cum Christiana doctrina ac fidei-defensorum Constitutionibus conciliatorem maximopere desidero &c.* E Jctis præter Grotium, Hahnium, ad *Wesenbec. ff. de Rit. nupt. voc. πολυγαμία*; *Polygamia*, inquit, *prohibita est Lege Evan-*

geli

gellii p. m. 83. Struvius nec vi primæ institutionis, nec in V. T. polygyniam prohibitam dicit, sed demum in Novo Testamento; ergo lege Christi, & quidem novâ. Exerc. XXIX. §. 52. Huberus Jus quoddam divinum per Christum & Apostolos toti humano generi significatum dari pronunciat, *Jur. Civit. L. 1. Sect. 1. c. 5. §. 10.* Schilterus, novum Jus institutum à Salvatore & Apostolis, v. gr. de S. Baptismo, de S. Ministerio, de Ecclesia & clavium potestate, de Excommunicatione, de S. Cæna, de Sabbato & aliis, quorum institutio legis fundamentalis vim habeat. *Instit. Jur. Can. L. 1. Tit. 2. §. 1.* Laudatus sæpe D. Pauli: Christum, ait, Regem & dominum esse. *vid. Io. 19. v. 37. Hebr. 7. 2. Apoc. I. 5. & Cap. 15. 13.* atque in foro saltem anima interno Leges tulisse, ad electum nempe de mundo cæcum pertinentes (dubitare vix quenquam sinunt præcepta ejus, qua plus vice simplicis Legis non solum, sed & novæ nomine ipsemet clarissimè insignivit. l. c. p. 11. qu. 23. p. 168. Possemus forte adhuc plures invenire, qui simili ratione loqui non dubitaverunt. Sed sufficere vel hi soli potuerunt ad ostendendum, rem non adeo novam esse, si quis Christo Legem, eamque certâ ratione novam tribuat, modo id fiat in sano, id est Biblico, sensu quod fecisse Auctores nominatos indè probabile videtur, quia nemini eorum è Theologis unquam lis aliqua mota fuit, solo Grotio excepto, quod notissimum. Nos quidem, ut jam in præcedentibus protestati sumus, hac occasione quæstionem hanc professo studio non tractabimus; ut tamen de mente nostrâ, illiusque integritate constet, nos

rejeētis, si quid in præjudicium meriti Christi Sociniani vel alii quique indè elicere voluerint, erroneis sententiis, Christum, non quidem ut Salvator est, adeoque in sensu reduplicativo, sed quà simul Rex est fidelium, seu in sensu specificativo Legislatorem dici posse, eoque respectu omnia ejus præcepta & instituta in Regno spirituali vim atque effectum Legum habere existimamus.

§. IX.

Claudat agmen eorum, quæ Lege Dei Posit. Universali disposita falso putantur, argumentum *de requirendo Parentum consensu ad Nuptias liberorum*, quod latissimè passim & apud Theologos, & apud JCtos tractatur. Nos erimus brevitatis studiosi. Communis ferè sententia est, necessitatem istius consensus esse à dictâ divinâ lege, provocantque, qui eidem favent, non solum ad præceptum Decalogi quartum & alia S. Scripturæ loca, in quibus istius consensus fit mentio; sed & ad exempla in Sacris Literis relata multorum, qui id confirmare videantur. Mittimus, qui uberiora hic velint, vel ad solum Michaelē Havemanum, *Gamolog. L. 1. Tit. 2. pos. 3. & Tit. 3. pos. 1. 2.* Verum enim verò quid opus est, ad Legem Dei Positivam confugere, cum *Naturale jus* præcipiat, ut ne liberi, saltim quatenus sunt in domo & potestate parentum, & quatenus hæredes eorum fieri volunt, absque horum consensu conjugem sibi sumant, cujus consequens est, ut si contrarium egerint, vel matrimonium illud sit irritum, vel liberi immorigeri jus, quod per successionem in bonis parentum habere poterant, ipsi unà cum prole suâ amittant. Dicimus hoc a ) *Naturale jus præcipere*, quia hic actus est  
maximi

maximi momenti , & simul interesse Parentum potissimum respiciens, quibus aliàs vel invitis accresceret onus alendi personam adductam, & sobolem ex eâ susceptam, cogerenturque his illi bona sua post obitum relinquere, Dn. Thomas *Inst. Jurispr. div. L. III. c. 4. §. 76.* Loquimur porrò (b) de Liberis, *quatenus adhuc sunt in domo seu familia & potestate parentum; & quatenus haredes eorum fieri volunt;* Nam si separatas ab istis res suas sibi habuerint, vel successioni renunciaverint, tunc cessat ratio, & quamvis reverentia naturalis maneat, non tamen manent reliqui respectus, quibus liberi in potestate constituti, & bonorum successores futuri parentibus obligantur. Pecant contra honestatem, non contra jus perfectum, indeq; talium matrimonia non irritantur; quæ etiam est sententia Pufendorffii *I. N. G. L. VI. c. 2. §. 12.* Et sic fortè capiendus Grotius, quando *ad validitatem conjugii naturaliter consensus Parentum requiri negat,* scilicet simpliciter & absolute, *L. II. c. 5. §. 10.* nec statim Papizare dicendus est, ut facit Osiander, *ad h. l. Obs. p. 759.* Unde etiam Leges Romanæ, quamvis irritas sine Patris consensu nuptias voluerint, *§. pen. Inst. de Nupt. l. 2. ff. de ritu nuptiar.* tamen de emancipatis idem non statuerunt, *l. 25. ff. de Rit. Nupt. l. 10. ff. de Sponsal.* Dicimus (c) *Parentum consensum de Jure Nat. requiri,* id est tam Matris, quam Patris. Utriusq; enim in productione, in educatione liberorum, imò in interesse nuptiarum æquales partes sunt, unde, quod discriminis hic introduxit Jus Civile Romanum intuitu potestatis, quam solis eo sensu patribus tribuit, id merè positivum est; & moribus hodiè rectè apud nos mutatum, Carpz. *Jurispr. Eccles. L. II. def. 44.* Denique dicimus (d) per

consequens irrita debere haberi conjugia contra Parentum consensum inita; vel liberos, si conjuges dimittere nolint, successiomis, & omnibus, qua è familia alias sperare possent, commodis privandos. Ratio jam data est, quia scilicet aliàs parentibus in vitis obtruderentur hæredes atque onera; & indignum utique est, immorigeros liberos habere malitiæ suæ præmia. Rectè itaque olim Jus Civile irrita talia conjugia declaravisse diximus; cum quo consentit Jus Canonicum, ap. Havemann. *l.c. Tit. III. pos. 2. §. 7. p. 32.* & plurimorum populorum ac Rerum publicum instituta, ap. eund. *ibid.* Quare pessimè Patres Concilii Tridentini, dum *Sessione XXIV. c. 1.* damnarunt eos, qui affirmaverint, *matrimonium à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & Parentes earata vel irrita facere posse.* Hòc enim modò in gratiam vanæ alicujus superstitionis facultas adempta est Parentibus, liberorum pravitatem & inconsultam libidinem, unde plerumque tales conjunctiones procedunt, coërcendi, liberis verò ad licentiam & inobedientiam fenestra patentissima aperta est. Unde nec laudare possumus praxin quarundam nostrarum Ecclesiarum, ubi sponsalia quidem sine Parentum consensu inita ipso jure nulla habentur, nuptiæ autem, modo solenniter celebratæ, subsistunt, Carpzov. *l.c. Def. 6. & Constit. p. IV. Const. 20. Def. 15.* Schilter. *Exerc. III. ad ff. th. 12.* quippè quâ suppositâ sequitur, non de necessitate amplius, sed de honestate tantum requiri Parentum consensum, id quod tamen in Pontificiis tantoperè improbamus. Cæterum quod monet Grotius, *non manifestè iniquam debere esse parentum in hoc negotio voluntatem l. c. L. II. c. 5. §. 10.* Illud sanè non est de nihilo; sed caveant sibi Parentes, ne propter  
mor o-

in honestatē vel privatos respectus honestas connubiōrum  
 occasiones respuant, vel ex suo potius quam liberorum  
 affectu & ingenio Conjuges quærant, unde jus suum  
 merito perdunt, & salubri apud nos instituto Consisto-  
 riis res decidenda committitur. Conf. Pufendorf. *l. c.* §.

14. circa fin.

§. X.

Essent fortè adhuc plura, quæ pro LL. Divinis Po-  
 sitivis iisque Universalibus à nonnullis habentur, quod  
 perperam fieri facile nunc etiam doceri possit. Sed  
 quoniam argumenti amplitudo nos à littore jam longi-  
 us, quam initio propositum erat, abduxit, igitur rece-  
 ptui tandem canemus, & labori hac vice colophonem  
 imponemus. Illud tamen adhuc monendum duxi-  
 mus, nos sicubi à Vitorum doctorum sententiis disce-  
 dendum, fuit id non sic accipi velle, ac si contradicendi  
 vel litigandi cum iisdem studio id fecerimus; à quò  
 longius abesse nos uti decet, ita benigni rerum iudices faci-  
 lè videbunt, tractandorum ordinem id exegisse, ut, dum  
 thesin nostram tuiti sumus, simul dissentientium ratio-  
 nes expenderemus. Factum id speramus modestè, ac  
 sine cujusquam injuria; & cum nostra obtrudere veli-  
 mus nemini, æque lubenti animo ferre poterimus, si cui  
 placuerit, causam suam contra nostra hæc defendere,  
 nosque, in quibus humani quid passi fuerimus, monere,  
 modo pari cum humanitate nostractet. Liberas esse in  
 Republica literaria hominum voces ingenuus quilibet  
 confitebitur; adeoque, ut in veritatibus inquirendis se in-  
 vicem lubenter audiant istius indagatores, & æquitas &  
 ratio hujus Ordinis postulant; absint tamen boatus, &  
 atque convicia, peccata hominum, qui literis operam  
 dant,



dant, eò magis frequentia, quominus eosdem, ubi à rudi plebeculâ discerni volunt, ea decebant. Cæterum dum in hoc argumento sæpius ad Sacras Literas nobis recurrendum fuit, nihil tamen, quod non sit licitum vel Jctis vel Christianis omnibus nos egisse, neque terminos disciplinarum, quousque publicæ Leges eos statuunt, movisse existimamus. Divinas enim Leges scrutari etiam Jurisprudentum est, imo omnium omnino hominum; id vero cum sine consideratione textuum Sacrorum fieri non possit, nosidem fecisse quod alii, nemini moturum stomachum speramus. Secuti sumus ubique Duces probatos Theologos, sanio-remque sententiam tuiti sumus; & si quando circa sensum loci alicujus Sacri singulare quid cogitavimus, id tamen fidei analogiæ non passi sumus repugnare, adeo ut nec in eo quidquam à nobis peccatum censeamus, nec nisi benignam censuram expectemus ab iis, qui locum dant illi Poetæ:

*Sape etiam est olitor valde opportuna locutus.*

Quodsi vero aliquid minus commodè dictum exciderit, ut homines sumus, & fieri potuit, id nostrum non agnoscimus, atque parati sumus, in gratiam ejusvis rectè monentis, ubi rationes solidas ostenderit, & humaniter nobiscum egerit, id emendare; illos autem, quibus dictatoriâ potestate nobiscum agere, vel fluctus in simpulo excitare lubuerit, istos inquam *quædam*, nihil, ut ille apud Comicum ait, *rectè dictum putantes, nisi quodcum verbis eorum conveniat*, pervicaciæ suæ excruciosos omnino relinquemus,

D. S. G.

# INDEX

## *Rerum & verborum memorabilium.*

- A** Bominari aliquid Deus quo sensu dicatur ? 173.  
Arbor scientiæ boni & mali Lege P. V. D. verita 75. De arbo-  
re hac sententiâ Beverlandi, 77. D. Thomasi 79. seqq.  
Arcuarius *Daphneus* Polygamista 45.  
Azo JCrus in fervore disputandi adversarium occidit. 122.  
Cæremoniales Leges Judaicæ an Universales ? 20.  
Circumcisio ad solam Jacobi progeniem pertinuit. 21. Nec fuit Lex  
Dei Universalis 163. seqq.  
Comam alere an deceat masculos ? p. 182.  
Comprivignorum conjugia an Div. Jure licita ? 139. seqq.  
Concubitus ipsi Adamo ex Talmudicorum sententiâ interdi-  
cti, 130.  
Concupiscentiæ quæ & quo jure prohibita ? 11. 13. 1/8.  
Conjugia Fratrum & Sororum Juri Naturali non adversantur. 155.  
Connubiales LL. Levit. XII. & XX. sunt Div. Posit. Universales.  
127. 134. non ad Naturales referendæ. ead. seqq. Nec tamen ob-  
tinuerunt ante Constitutionem Mosaicam, exceptâ Lineâ rectâ. 131.  
Causa prohibitionis divinæ palmaria. 133. Harum legum latitudo  
& ambitus 135. Regulæ, in harum LL. Interpretatione obser-  
vandæ. 137. seqq.  
Consensus Parentum ad nuptias liberorum quatenus & quo jure  
necessarius ? 186.  
Consobrinorum nuptiæ non sunt Divino Jure prohibita. 139.  
Christus an Leges rulerit, & ideo Legislator dici possit ? 17. 183.  
Decalogus quatenus ad Jus Positivum Universale spectet 12. seqq.  
26. ejus obligatio p. 13.  
Dispensatio ratione pœnæ an in homicidio habeat locum,  
122. seqq.  
Dispensare potuit Deus circa Leges Mosaicæ connubiales 159 non  
æque id licet hominibus, sive jam sit contractum,  
sive adhuc contrahendum matrimonium 160.

- Divortia Uxorum à viris apud Romanos valdè frequentia. 61.  
 Divortia L. D. P. Universaliter interdicta 57. non item naturali 58. 60.  
 Prius negant aliqui, quibus responderetur 71. seqq.  
 Divortiorum causæ justæ 60. 64. seq. 67. seqq.  
 Divortiorum licentia Mosaica, & praxis apud Judæos 61.  
*Ezra* quid sit 1. Cor. XI. 10. 104.  
 Fœminas natura ad subjectionem non damnavit 109. seq.  
 Fœnus an & quatenus à Deo interdictum 174.  
 Fratrem ut quis uxorem ducat, Deus salvâ Lege Mosaica præcipere potuit. 159.  
 Homicidia ex LL. Div. Posit. Universal. ultimo supplicio afficienda. 113. Dissidentium argumenta expenduntur. 124.  
 Impotentia an justa divortii causa? 67.  
 Incestus Jure Naturæ non datur? 129. Grotius & aliorum, qui inter ascendentes & descendentes nuptias prohibitas statuunt, rationes examinantur. 150. seqq.  
 Jus Naturale in homine integro. p. 6. seq. Juris Naturalis indoles 10. seq.  
 L. ad bestias 31. ff. de pœnis. 122.  
 Lex Judæorum forensis quatenus in Christianis Rebus publicis adhuc pro norma esse possit, 22. Poenalis in specie 180.  
 LL. Divinæ Positivæ particulares 17. seq. an adhuc obligent? p. 18.  
 LL. Divinas Posit. Universales dari negant Brucknerus. 30. Autor Observat. Halensis 32.  
 Legum Positivarum Divinarum existentia 9. indoles. 11. divisio in Universales & particulares. 16. seq. varia acceptio. 23. 78.  
 LL. Divin. Positiv. Universalium descriptio 17. Divisio 23. Criteria 23. seqq.  
 Legum Positivarum Universalium & Naturalium discrimen. 8. 11. seq.  
 Leges an Deo tribuendæ? 33.  
 Legibus Div. Posit. Universalibus falso, accensentur partus mulierum dolorosus, it. necessitas comedendi panem in sudore vultus. 99. seq.

LL.

- LL. Naturales an sint monita paterna** 33.  
**Lutherus defensus**, 68. 97.  
**Lyserus Johannes Polygamista**, 45  
**Maritale imperium Lege Dei Posit. Universali nititur** 99. 104.  
**Non est à Lege Naturali** 101. 109. 111, nec in statu Integritatis ob-  
 tinuisset. 103. seq. **Quousque se extendat?** 105. seq. **Quo-**  
**modo imperia fœminarum stent cum hac Christi lege** 107. **An**  
**mariti uxoribus in se imperium concedere possint?** 107. seq. 112.  
**Mas Budala** qui fuerint. 98.  
**Matrimoniorum conditio apud Judæos** 61.  
**Matrimonium ad tempus contrahere Jure Naturæ licet** 58.  
**Mischna Rabbinorum** 16.  
**Moralitas LL. quæ sit & quotuplex**. 19.  
**Noachica VII. præcepta**. 15.  
**Obligatio Legum interna & externa**. 32. 35.  
**Ochinus Bernhardus Polygamista**. 45.  
**Peccatum originale an libido?** 77. seq.  
**Philippi Magnanimi H. L. Polygamia**, 48. excusata 54.  
**Platonis institutum de communione mulierum** 40.  
**Polyandria J. Naturæ adversa** 36. 40. non item Polygynia 41.  
**Polygamia simultanea omnis L. D. P. Universali prohibita** 39. 48.  
**Polygamistarum argumenta** 46. refelluntur 48  
**Polygamix Patroni** 45. 54. seq.  
**Polygamix incommoda** 43.  
**Πορνεία** quid significet Matth. V, 32.  
**Probabilissimus moralis Dd. statuentium, quod dispensari possit**  
**in nuptiis divino Jure prohibitis, si jam contractæ** 160.  
**Regium officium Christo etiam competit in statu exinanitio-**  
**nis** 37.  
**Repudii libellus apud Judæos**. 62.  
**Sabbati cultus L. D. P. U. imperatus** 81. à Christianis tamen licitè  
 tempus mutatum est. 84. 87. **Jure Naturæ de eo nihil constat**  
 85. **Discrimen Christiani & Judaici Sabbati** 88. **Autores, qui**  
A a 2
fen-

sentiunt, Sabbati Lege Christianos non teneri, 90. quorum  
 rationes diluuntur. 93. seqq.  
 Sacrificia an in V. T. omnes qui salvi esse voluerunt, necessum  
 habuerint præstare ? 21. 166. seqq. Eorum necessitas ex lumine ra-  
 tionis non patet 168.  
 Sanguinis & suffocati elus an Lege Nat. interdictus ? 168. An  
 Christianis licitus ? 169.  
 Societas Coniugalis differt ab aliis Societatibus 59.  
 Sororis uterinae nuptias ante Legem Mosaicam interdictas tradunt  
 Talmudici 131. 144.  
 Sterilitas Coniugii an iusta divortii causa 60.  
 Theodoretii conconiium 11.  
 Trapezitæ in Belgio à communionem Sacrorum exclusi 174.  
 Τερχόμαχοι qui ? p. 182.  
 Vestes promiscuas an masculis & fœminis gestare liceat ? 171.  
 Uxor cum Sorore nuptias an Deus concesserit ? 144.

### Emendanda

**P** 13 lin. 2. leg. *Rom. VII, 7.* p. 17. lin. 8. dele *expresse.* p. 24. lin. 25.  
 • leg. *datas* p. 37. lin. 4. leg. *potius* p. 44. lin. 18. leg. *sed & ex scho-*  
*lasticis.* p. 49. lin. 19. leg. *percepimus* p. 63. lin. 25. leg. *Matth. XIX, 6.*  
 p. 70. lin. ult. leg. *Matth. XIX, 6.* p. 73. lin. 15. dele *eius* p. 78. lin.  
 13. leg. *& III.* lin. 24. leg. *ad II.* p. 80. lin. 16. leg. *futuris.*  
 85. lin. 17. leg. *Exod. XX, 8.* p. 87. lin. 19. dele *Act. XV, 20.* p. 91. lin.  
 14. leg. *Exod. XX, 11.* p. 92. lin. 22. leg. *Rom. XIV, 5. 6.* p. 97. lin.  
 1. dele *non.* p. 98. lin. 15. lege *probabiliter.* p. 103. lin. 19. leg. *Gen. I.*  
 23. 29. p. 105. lin. 4. dele *se* p. 106. lin. 7. lege *insidietur.* p. 110. lin.  
 24. lege *imbecillitas.* p. 112. lin. 20. lege *dominium.* p. 118. lin. pen-  
 ult. leg. *homicidas.* p. 122. l. 13. lege *paeniterit.* p. 164. lin. 1. lege  
*Gen. XVII, 16. seqq.* p. 167. lin. 4. lege *Gal. III, 19.* p. 170. lin. 20.  
 lege *Æsculapida.* p. 189. lin. penult. dele *&*.

Cætera leviora & quæ sensum non turbant, B. L. etiam non  
 admonitus ipse corriget.

F I N I S.

